AMAT VICTORIA CURAM

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

ANGINA INFLAMMATORIA,

QUAM

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate RECTORIS MAGNIFICI,

D. ADRIANI VAN ROYEN,

MED. DOCT. MEDICINÆ ET COLLEGII PRACTICO MEDICI IN ACAD. LUGD. BAT. PROFESSORIS ORDINARII.

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu*,
Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini submittit

MEINARDUS STEFFENS, LUGD. BATAV.

Ad diem 18. *Maji* 1758. *H. L. Q. S.*

PHOEBUS. ÆSCULAPIUS.



VIRO

HONORATISSIMO, SPECTATISSIMO

D. FREDERICO HALEWYN,

D. MERCATORI HONESTISSIMO, ECCLESIÆ LEIDENSIS SENIORI DIGNISSIMO, PER REPETITAS CARISSIMÆ MATRIS NUPTIAS PATRI SUO OPTIMO, FACILLIMO, OMNI FILIALI AMORE ET OBSEQUIO AD ROGUM COLENDO, VENERANDO.

Hancce dissertationem, & semet ipsum eâ, qua par est reverentia

D. D. D.

MEINARDUS STEFFENS,

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

ANGINA INFLAMMATORIA.

CAPUT PRIMUM.

Etymologiam, & Definitionem Continens.

§. I.

Angina a Latino verbo angere, vel a Græco ἄγχειν quod angere & ſtrangulare denotat, vel ut alii volunt ab ἀγχόνη Laqueus ſuam originem ducens, quoniam ægri cum illa Luctantes miſerrime anguntur, & quaſi Laqueo ſtrangulantur, generaliter dicitur ille morbus, quo cum, vel ſine tumore manifeſto deglutitio aut reſpiratio eſt vel valde impedita, vel admodum dolens, vel quo deglutitio & reſpiratio ſimul, impeditæ vel dolentes ſunt, a cauſa morboſa agente in partes ſupra pulmones, & ſupra ventriculum ſitas, quæ binis hiſce functionibus inſerviunt, (*a*).

§. II.

(*a*) Boerh. Aphor. de Cogn. & Cur. Morb. §. 783.

§. II. Verum quoniam ſic uno eodemque vocabulo multi morbi inſigniebantur, Recentiores in ſpecies diviſerunt, & pro variis cauſis varia etiam cognomina excogitarunt, & ſic vocarunt Anginam Paraliticam, Anginam Inflammatoriam, Eryſipelatoſam, Oedematoſam, Catarrhoſam, Purulentam, ſcirrhoſam, Cancroſam, & Convulſivam (*b*) una cum nomine cauſam morbi exprimentes.

§. III. Facile ergo ex his prædictis recte conſideratis, percipi poterit, Anginam Inflammatoriam illam ſpeciem eſſe, quæ tumorem Inflammatorium partes (§. 1.) memoratas obſidentem, pro cauſa agnoſcit, quas ergo, ut rite progrediamur, faciliusque ad diagnoſin, prognoſin, & curam ducamur, prius delineabimus.

(*b*) Id. de Angina.

CAPUT SECUNDUM.

De Fabrica, & Uſu Partium Supra Pulmones Poſitarum, Reſpirationi Inſervientium.

§. IV. Has partes delineaturi mentionem non faciemus de ore & naribus, quæ quidem operam præſtant, & generali ſenſu reſpirationi inſerviunt, ſed ſtricte dicta non ad ejus organa pertinent, quorum quoque morbi aliis nominibus ſunt inſigniti, verum eas tantum partes breviter deſcribemus, quibus inflammatione correptis, proprie Angina Inflammatioria adeſſe dicitur, inter quas primo nobis obvenit caput Aſperæ Arteriæ.

§. V. Hoc Larynx dicitur, & poſitum eſt in parte anteriori colli, directe in ejus Meditullio, ante Pharyngem, ad radicem linguæ; cavum quoddam efformat libero aëris tranſitui maxime neceſſarium, ex quinque cartilaginibus conſtat (*c*), quarum prima eſt Thyroides, Latinis Scutiformis ob ſimilitudinem, quam cum ſcuto habet, ejus pars interior concava eſt, exterior autem convexa & gibboſa prominentiam facit pomum Adami dictam; quia vulgo perſuaſum eſt, in Adami faucibus pomi fatalis partem ex poena Divina

(*c*) Heiſt. Comp. Anat. pag. 121.

Divina remansisse, & ad posteriores fuisse translatam (*d*). in medio Lineam habet, unde quidam pro duplici habuerunt, Licet non, nisi rarissime gemina reperiatur, figuram habet quadrangularem, qui quatuor anguli singuli suam habent productionem, duas nempe superiores, quæ cæteris longiores ope Ligamentorum conjunguntur cum Lateribus ossis hyoidis, & duas inferiores, quæ cartilagini Crycoidei connectuntur. Secunda est Crycoides, Latinis annularis, quoniam figuram annuli refert, hæc infimam Laryngis partem occupat, totumque Laryngem circumcingit, a parte antica gracili atque depressa sensim crassescens, inque posticam Latiorem adsurgens.

Tertia & quarta sunt duæ Arytenoideæ, quæ hinc nomen habent, quia haustrum quasi efformant, Latinis guttales dicuntur, quas singulas Santorinus duplici cartilagine constare putavit, unde ejus opinio provenit, septem esse Laryngis cartilagines (*e*), hæ parvæ sunt, & figuræ singularis, intra Thyroidem collocatæ, ab annulari Suffulciuntur, partem laryngis posticam efficiunt, & suo concursu rimam glottidis efformant, ut per illam aër in pulmones ingredi, iterumque ex illis egredi posset, quæ rima pro variatione Sonus in Loquela & cantu per cartilagines & musculos ampliatur & constringitur.

Quinta est epiglottis, ita dicta quasi glottidis operculum, hæc substantiam habet molliorem, quam cæteræ cartilagines, radici linguæ adnectitur, eique erecta adstat a parte posteriori, tempore vero deglutitionis totam glottidem operit, & curat, ne ingesta in glottidem incidant, non, quoniam ingesta deglutienda epiglottidem (ut quidam somniarunt.) sola gravitate deprimunt, sed quia radix Linguæ in deglutiendo intumescit, in posteriora surgit, & epiglottidem retrorsum, nempe versus glottidem inclinat, cum Larynx simul attollitur & Linguæ valide applicatur.

§. VI. Musculi Laryngi inservientes, sunt α. Sternothyreoideus Cartilaginem Thyreoideam, atque adeo Laryngem deprimens (*f*). β. Hyothyreoïdeus Laryngem attolles (*g*). γ. Stylopharyngeus Laryngem attollens (*h*). δ. Cricothyreoïdeus Thyreoïdeam & Cricoïdeam ad se mutuo adducens (*i*). ε. Cricoarytænoïdeus Posticus cum sui pare glottidem, quantum potest, patefaciens, & ejus rimulam

(*d*) Barthol. Anat. pag. 443. (*e*) Obs. Anat. a pag. 108 ad 114. (*f*) Albin. Hist. Musc. Lib. 3. Cap. 40. (*g*) Idem Cap. 41. (*h*) Idem Cap. 46. (*i*) Idem Cap. 63.

mulam diducens (*k*). ζ. Cricoarytænoideus lateralis, qui uterque agens partem internam rimae, quæ ante cartilagines arytænoideas eſt, minuit, & lateribus ejus ſe contingentibus, ad poſtremum comprimit, pars autem poſterior ab iisdem cartilaginibus facta patet anguſtâ rimâ, a parte priori connivente, rotundiore parte poſteriori, multoque breviori, quam cæterum ipſa rima interna, & tum glottidis rimula, cum ea anguſta eſt, modice diducitur (*l*).

§. VII. Muſculi glottidis rimam anguſtantes eſt, α. Thyreoarytænoïdeus, qui cum ſui pare agens priorem partem rimæ internæ Glottidis comprimit, & fortius quidem, quam Cricoarytænoïdei Laterales, unde ſic rima anguſtior redditur (*m*). β. Arytenoïdeus transverſus Glottidis rimulam comprimens, internamque rimam arctans, & a poſteriori parte comprimens (*n*). γ. Arytænoïdeus obliquus glottidem, ejus rimulam, & rimam internam contrahens, eamque a poſteriori parte in angulum comprimens (*o*).

§. VIII. Muſculi a Santorino Epiglottidi adſcripti (*p*), ſunt, unus attollens, duo Aryepiglottidei, duo Thyroepiglottidei majores, duo Thyroepiglottidei minores, Epiglottidem deprimentes, quos ab aliis Anatomicis negatos eſſe ſtatuit, quoniam, uti refert, tenuiſſimi ſunt, & non, niſi in optime conſtitutis, & lacertoſis cadaveribus, reperiuntur (*q*): Prout eſt, (e par. 5) conſtat, Epiglottidem facile tempore deglutitionis ſine Muſculorum ope, ab intumente, & ſurgente radice Linguæ, cui adnexa eſt, inclinari poſſe, iterumque erigi poſt deglutitionem.

§. IX. Larynx ſanguinem ſuum acquirit a ramo Carotidis externæ (*r*), eumque reddit venæ jugulari internæ (*s*).

§. X. Nervos Larynx accipit a pari octavo, vago dicto (*t*), quod cranium egreſſum ad inferiora deſcendit, & poſtquam plexum thoracicum effecerit, ramulum ſeparat, qui in Latere dextro, infra arteriam ſubclaviam reflexus, recurrens dexter, & in latere ſiniſtro ſub angulo arteriæ aörtæ reflexus, recurrens ſiniſter vocatur, qui ita dicti recurrentes ad Laryngem adſcendunt, illique ut & ejus muſculis ramos tribuunt (*u*).

§. XI. Magnâ copiâ Glandulæ Epiglottidis dorſo anteriori inſident (*v*), ſic & omnis cavitas interna Laryngis obducitur membrana

(*k*) Idem Cap. 64. (*l*) Idem Cap. 67. (*m*) Idem cap. 68. (*n*) Idem Cap. 66. (*o*) Idem Cap. 65. (*p*) Santor. obſ. Anat. Loc. citat. (*q*) Idem. (*r*) Veſal. de H. C. fabr. Tab. 41. Litt. C. (*s*) Idem Tab. 40. Litt. X. (*t*) Heiſt. Comp. Anat. pag. 166. (*u*) Euſtach. Tab. XVIII. (*v*) Steno. de gland. & muſc. p. 37.

na molli, mucosa, & irritabili, repleta plurimis glandulis, tenuem, aquosum sed cum viscore mucum secernentibus, & irrorandæ Laryngi inservientibus (*w*), in quarum numero, situ, magnitudine, & figura non semper natura est constans (*x*).

§. XII. Aspera arteria seu Trachea ab inæqualitate (*y*) sic dicta, est Canalis cylindricus oblongus ex membranis, & cartilagineis annulis sedecim vel viginti constructus, a Larynge ad pulmones extensus (*z*), Oesophago superpositus, quem comitatur usque ad quartam pectoris vertebram, ubi in duos ramos dispescitur pulmones subeuntes (*a*), & bronchiorum nomen sortitur.

§. XIII. Hi annuli, qui aliquando sunt ossei, & quidquam medullosi continent (*b*), non perfecte circulares sunt, sed in homine a parte posteriori ad unam tertiam, quartamve partem deficiunt (*c*), qui defectus suppletur a membrana quadam valida musculosa (*d*) plurimis glandulis gaudente, quæ unctuosum humorem Lubricandæ Tracheæ causa, secernunt (*e*).

§. XIV. Ratio cur hi annuli non perfecte circulares sint, & membrana musculosa suppleantur, est 1mo ut Oesophagus, qui asperæ arteriæ subjacet a degluriendis posset dilatari, cum Trachea cedit stomacho deglutienti (*f*): 2do ut dilatatione & constrictione variandæ voci inserviret (*g*): 3tio ut pro excrementorum expulsione dilatari & constringi posset (*h*).

§. XV. Annuli hi cartilaginei, e quibus pro maxima parte aspera arteria constructa est, directe sibi mutuo non supercubant, nec succumbunt, sed concatenantur musculosis fibris fortibus (*i*), quæ ortæ a parte inferiori cartilaginis mox parti superiori subsequentis annuli (*k*), pari plane modo ac musculi intercostales, inseruntur (*l*).

§. XVI. Trachea hæc obducta est duplici membrana, externa nempe & interna (*m*): internam cum ore & faucibus communem habet (*n*), quæ membrana arteriæ asperæ per tunicam cellulosam ad-

(*w*) Hall. prim. lin. Physio. pag. 186. (*x*) Heist. comp. pag. 219. (*y*) Barthol. Anat. Cap. 10. Lib. 2. (*z*) Idem pag. 120. 121. (*a*) Dion. Anat. pag. 291. (*b*) Morgag. adver. prim. pag. 31. (*c*) Vesal. Anat. C. H. Lib. 1. cap. 38. Fig. 1, 2, 14, 15. (*d*) Boerh. Inst. Med. pag. 112. (*e*) Idem pag. 113. (*f*) Boerh. Inst. Med. pag. 113. Heist. Comp. Anat. pag. 121. (*g*) Barthol. Anat. Lib. 2. Cap. 10. Hall. ad Boerh. Inst. Tom. 2. pag. 150. (*h*) Barth. loc. cit. (*i*) Vigier. Enchir. Anat. Lib. 2. cap. 24. Drelinc. Oper. pag. 181. (*k*) Lancis. de motu cord. & aneur. Tab. 1. Figur. 1. (*l*) Heist. Comp. Anat. pag. 185. Barth. Lib. 2. Cap. 2. (*m*) Barthol. Lib. 2. Cap. 10. (*n*) Idem loc. cit. & Vesal. de C. H. Fabric. pag. 499.

adhærens multis exiguis glandulis ſcatet, quæ pinguem humorem plorant, ad exſiccationem prohibendam, & tracheam contra aſperiorem aërem inſpirandum, & acriores excernendas ſordes, ejusdemque indolis halitus exſpirandos, muniendam (*o*): conſtat hæc tunica duplici fibrarum muſcularium ſerie, longitudinalium ſcilicet, & orbicularium, quarum prioribus tracheam breviorem reddentibus, annuli ſe ſe ſuperſcandunt (*p*), poſterioribus vero ſegmentorum extrema proprius ad ſe invicem adducentibus, trachea anguſtatur (*q*): Membrana qua trachea extrinſecus tegitur, continuatio pleuræ eſt (*r*), & Cartilagines tanquam involucrum munit, cum partibus vicinis colligit, recurrentes nervos ſecuriſſime defert, & venulas, quæ laryngem, & aſperæ arteriæ caudicem implicant, aſſumit (*s*).

§. XVII. Aſpera arteria æque ac larynx (§. IX.) ſanguinem ſuum a ramo Carotidis externæ acquirit, qui innumeros ramulos intimæ tubi aëriferi membranæ ſuppeditat, reddit vero ſuperſtitem venæ jugulari internæ (*t*).

§. XVIII. Nervos copioſos a recurrente habet, & a plexu cervicali (*u*), qui membranæ internæ infixi, & in ejus ſuperficie papillarum ſpecie deſinentes hancce membranam ſenſiliſſimam reddunt (*v*).

§. XIX. Glandulæ innumerabiles, & ſimpliciſſimæ, quæ perexiguo ductu pori ſimili, & in cavitatem aſperæ arteriæ aperto, unctuoſum humorem ſecernunt, & tracheæ lubricandæ gratiâ, in eam cavitatem deponunt, ſitæ ſunt in cellulosa tunica, quæ muſculari circumponitur, a parte poſtica, ubi cartilagines deficiunt (*w*), an vero etiam glandula Thyroidea, quæ Lunæ cornutæ figuram referens corpore ſuo ſuperioribus annulis aſperæ arteriæ ſuccumbit, per cornua vero ſurſum erecta Oeſophago æque ac Laryngi adhæret, & copioſum liquorem limpidum continet (*x*), tracheæ inſerviat, adhuc ſub judice lis eſt, quoniam ejus ductus obſcuri, & hactenus nemini perſpecti ſunt (*y*).

(*o*) Barth. loc. citat. (*p*) Hall. ad Boerh. Inſt. tom. 2. pag. 150. (*q*) Idem. (*r*) Barthol. Anat. Lib. 2. Cap. 10. (*s*) Veſal. de C. H. Fabr. pag. 498. (*t*) Heiſt. Comp. pag. 121. (*u*) Hall. Prim. lin. Phyſ. pag. 153. (*v*) Will. de Med. Oper. pag. 134. (*w*) Hall. prim. lin. Phyſio. p. 152. Idem ad Inſt. Boerh. tom. 2. p. 151. (*x*) Heiſt. Comp. 218. (*y*) Hall. ad Boerh. Inſt. tom. 2. pag. 151. in not.

C A-

CAPUT TERTIUM.

De Fabrica & usu Partium, quæ deglutitioni inserviunt.

§. XX. Deglutitio est illa actio animalis, qua assumta motu linguæ successivo, motu ossis hyoidis, Laryngis, Pharyngis, & Veli Palatini versus isthmum faucium propelluntur, atque inde ad oesophagum & ventriculum urgentur (*a*).

Lingua licet princeps hujus functionis sit auctor, tamen hanc sicco pede transibimus, quoniam ejus inflammatio non Angina dicitur, verum ὑπογλώσσις vocatur (*b*), licet negare nolim, tumorem linguæ, imprimis circa ejus radicem, Laryngem vicinam sic impedire posse, ut suffocationis periculum immineat, verum hic raro acutam, sed potius lentiorem quamdam Anginæ speciem producit, uti ex glandularum situ patet (*c*), cum tumor ejus, si inflammatorius est, fere semper est symptomaticus (*d*), ut postea patebit.

Sic quoque musculi labrorum, & buccarum simul vel successive agentes assumta per intervallum dentium utriusque maxillæ premunt in oris cavum, a palato, & cavitate sublinguali factum (*e*), & maxillæ invicem appressæ assumta coärctant, quare hæ partes læsæ deglutitionem quoque lædere possunt, & tamen Anginam non faciunt: Ne ergo a scopo aberremus, ad illas partes transibimus, quarum imflammatio proprie Anginam inducere valet, inter quas primo nobis occurrit Os Hyoïdes.

§. XXI. Seu Upsiloides a forma Græcæ litteræ υ, a stuctura Bicorne, & ab ejus usu & cohæsione cum Lingua, Linguale dictum (*f*), in junioribus ex tribus frustis, basi scilicet, mediam partem occupante, & duobus lateralibus, cornubus dictis, quibus Lingua connascitur, constans; In adultis vero, ad juncturam eorum cum basi, sæpe adhuc duo alia valde exigua reperiuntur, figuram

(*a*) Heist. Comp. Instit. Med. pag. 15. (*b*) Hippocr. de Morb. Lib. 2. 31. 1. (*c*) van Zwiet. Comm. in Aph. Boerh. tom. 2. p. 655. (*d*) Idem pag. 627. (*e*) Boerh. Inst. Med. pag. 31. (*f*) Heist. Comp. Anat. pag. 146.

ram fere feminis tritici referentia, quibus Ligamenta junguntur, quorum ope proceffibus Styloïdeis adhærent (g). Cohæret hoc os per ligamenta bafi five radici Linguæ, cum qua fimul movetur, proceffibus ftyliformis, & Laryngi (h), per Mufculos vero tam cum partibus prædictis, quam cum maxilla, fcapulis, claviculis, & fterno (i).

§. XXII. Mufculi, quorum ope Os hyoïdes aliis partibus adnectitur, & varie movetur, funt, α. Sternohyoïdeus os hyoïdes imprimis ad partem priorem detrahens (k). β. Coracohyoïdeus Os hyoïdes detrahens ac fimul retrorfum cogens (l). γ. Stylohyoïdeus, & Stylohyoïdeus alter os hyoïdes in pofteriora attollentes (m). δ. Mylohyoïdeus Os hyoïdes, fi depreffum fit, attollens, deinde firmans, & partes fupra fe fitas premens, & furfum agens (n). ε. denique Geniohyoïdeus Os hyoïdes ad mentum trahens (o).

§. XXIII. Cum jam hi una cum Mufculis Linguæ agunt, Linguam, Os hyoïdes, & ipfi adnexam Laryngem elevant, & vi fatis valida furfum antrorfum trahunt, unde fic Epiglottis retro dorfum Linguæ erecta, cumque ea connexa facile inclinatur, & inverfa aditum ad Laryngem claudit; præterea quoque Larynx eum Offe hyoïde, & Lingua furfum tracta relaxat omnes adhæfiones Pharyngis, quæ tum cibis ingerendis occurrens, patulum illis infundibulum offert (p).

§. XXIV. Secundo nobis examinandum eft Velum Palatinum, ab aliis quoque Palatum mobile & molle dictum (q), quod mobile feptum conftans ex membrana e naribus, & aliâ ex offeo Palato productâ, quæ in ora pofteriori Veli conjunguntur, continuatur anterius a Palato offeo, & ad Latera educitur ab alis Pterygoïdeis, inter nares & os in cavas fauces horizontaliter ita pendulum, ut ad os cavum fit, & Nares naturaliter hiënt (r), pars ejus media inferior in conum educta, ante Epiglottidem perpendiculariter pendula Uvula vocatur (s): Hocce Velum mobile deglutitioni maxime accommodatum, & cibis ingreffum in nares impediens, variis huic fcopo infervientibus Mufculis movetur, qui a multis Anatomicis, Uvulam cum Palato molli confundentibus, omnes omnino Uvulæ adfcripti funt (t).

§. XXV.

(g) Idem pag. 28. (h) Barthol. Anat. pag. 543. (i) Heift. Comp. pag. 146. (k) Albin. Hift. Mufc. cap. 39. (l) Idem cap. 38. (m) Idem cap. 43. & 44. (n) Idem cap. 47. (o) Idem Cap. 48. (p) Hall. ad Inft. Boerh. Tom. I. pag. 221. (q) Hall. prim. lin. Phyf. pag. 394. (r) Idem Loc. citat. Euftach. Tab. 42. fig. 4. 6. (s) Haller Loc. cit. (t) Idem in præl. Boerh. Tom. I. pag. 200. in not.

§. XXV. Mufculi velo Palatino proprii funt, α. Palatopharyngeus, qui cum pari fuo agens, Palatum molle detrahit, præfertim ejus Latera, & maxime juxta Uvulam, fimul illud curvat, concavum reddit, in inferiora & priora, & e lateribus contrahit (*u*). β. Conftrictor Ifthmi faucium, qui uterque agens Palatum ad Linguam trahit, contrahit, & a parte Linguæ concavum facit, unde tum Ifthmum faucium contrahit (*v*). γ. Levatores Palati mollis, qui ambo agentes, Palatum molle retrorfum attollunt, ejusque figuram mutant (*w*). δ. Circumflexus Palati, qui partem Palati mollis offeo vicinam tendit, concutit, in Latus fimul, & quodammodo in priora trahit (*x*).

§. XXVI. Membranaceum illud involucrum, quod Palatum molle cum naribus commune habet, & quod membrana Schneideriana vocatur, pleniffimum eft glandulis fimplicibus, humorem tenuem fecernentibus, tamdiu in fuo folliculo manentem, donec morâ craffior factus mucus fiat, exprimendus quotiescumque ufus poftulaverit (*y*); Hic mucus adeo neceffarius, ut nulli animalium negatus fit, potiffimum infervit, ut aërem commiftum, fua tenacitate coërceat, & ad ventriculum ducat.

§. XXVII. Uvula, de qua (§. XXIV) mentionem fecimus, a morbo ita dicta, Gargareon a fono, fcilicet gargarifatu, Columna & Columnella a figura (*z*), eft particula glandulofa, & carnea a palati fine, ubi fauces narium foramina fpectant, in oris amplitudinem, ante Epiglottidem propendens, fuperius, ubi Velo Palatino continuatur Latior, inferius acutior inftar inverfæ Pyramidis, unde quidam ex hac figura illam fundibulum vocarunt (*a*); conftat ex continuato Velo Palatino, variis glandulis & azygo Mufculo (*b*), qui uvulam attollit, In priora, breviorem reddit (*c*), & fic depreffam iterum retrahit.

§. XXVIII. De Uvulæ ufu Auctores inter fe non conveniunt, quidam enim illi moderamen vocis adfcribunt (*d*), alii ad deglutitionem, & meatum narium accuratius claudendum facere volunt (*e*) alii alias opiniones formarunt, cum contra Adftrucius (*f*) afferit, per ejus jacturam neque loquelam, neque deglutitionem lædi

(*u*) Albin. Hift. Mufc. cap. 58. (*v*) Idem cap. 59. (*w*) Idem cap. 60. (*x*) Idem cap. 61. (*y*) Hall. ad Boerh. Inft. Tom. I. pag. 173. (*z*) Barth. Anat. pag. 537. (*a*) Vefal. de C. H. fabr. pag. 502. (*b*) Haller ad Boerh. Inft. Tom. I. pag. 213. (*c*) Albin. cap. 62. (*d*) Santor. obf. Anatom pag. 136. (*e*) Valfal. tract. de Aur. Human. pag. 93. 94. (*f*) De Lue Vener. Lib. 4. cap. 11. pag. 410.

lædi; maxime autem accommodata eſt, ut per ſuas glandulas tempore deglutitionis preſſas, mucum effundat, ingerenda lubricet, & cum illis commixtum aërem coërceat, præterea quoque fluida accuratius trans Epiglottidem dirigere videtur, quoniam, illâ deperditâ, inter bibendum crebrior tuſſis oritur.

§. XXIX. Palatum mobile, & Uvula ſanguinem ſuum acquirunt a proprio trunculo, modo ex Carotide externa, modo, & plerumque ab arteria Labiali prope ejus originem (*g*), eumque reddunt per multiplices venulas venis jugularibus internis (*h*).

§. XXX. Cryptas mucoſas Uvula habet, ſimillimas illarum, quæ per memoratam (§.XXVI) membranam Schneiderianam, dorſum cartilaginum Arytænoïdearum, Epiglottidis faciem Laryngi objectam, tubarum tumentem angulum, & iſthmum faucium diſperſæ ſunt (*i*): Nervos habet a pari quinto (*k*).

§. XXXI. Supra hoc velum Palatinum, ad Latus internum alæ internæ proceſſus Pterigoidei Oſſis Sphænoïdis, uno ſuo extremo latiori aperitur Tuba, ab inventore Euſtachiana dicta, quæ canalis eſt partim oſſeus, partim cartilagineus, & partim membranaceus, altero ſuo extremo in aure interna in tympani cavum patens (*l*), aëri admittendo, auditui maxime neceſſario, accommodatus (*m*): Hæcce Tuba interne tegitur membrana ſimili membranæ narium, cujus propagatio videtur.

§. XXXII. Tertio ſequitur Pharynx, quæ eſt ampla illa, & deformis cavea, quæ inter vertebras colli, os occipitis ante foramen magnum, medium os cuneiforme, aditum ad nares, Velum Palatinum, & Linguam, ſupra Laryngem & Oeſophagum intercipitur, & ſaccum membranaceum ſub infundibuli forma efformat (*n*) excipiendis ingerendis, per ſuam elevationem, qua ea pars, quæ exteriori margini palati reſpondet, exterius trahitur, & ſic cum illa unum quaſi corpus efformat, viæ ad nares claudendæ, & per ſuam contractionem cibis in Oeſophagum urgendis inſervit.

Hæc licet nihil aliud ſit, niſi amplum Oeſophagi orificium, tamen eam ab Oeſophago diſtinguere maluimus, quoniam ejus actio ab

(*g*) Hall. ad Boerh. Inſt. pag. 202. in notis. (*h*) Idem pag. 203. & prim. Lin. Phyſ. pag. 398. (*i*) Idem loc. cit. & ad Boerh. Inſt. pag. 173. Tom. I. (*k*) Heiſt. Comp. Anatom. pag. 150. (*l*) Hall. ad Boerh. Inſt. Tom. 4. pag. 379. 381. (*m*) Van Zwiet. Comm. in Aph. Boerh. Tom. 2. pag. 666. (*n*) Hall. prim. Lin. Phyſ. pag. 392.

ab Oesophagi differt, & proprios sibi Musculos possidet.

§. XXXIII. Musculi, quorum ope Pharynx suo munere fungitur, sunt α Constrictor Pharyngis superior, qui eam partem Pharyngis, quam ambit, premit, constringit, in priora & sursum trahit (i). β Constrictor Pharyngis medius, qui Pharyngem constringit, attollit, & breviorem reddit (k). γ Constrictor Pharyngis inferior, qui Pharyngem constringit (l). δ Salpingo pharyngeus, qui Pharyngem aliquantum in priora attollit, eam eodem tempore breviorem reddens (m). ε Palatopharyngeus, quem antea (§. XXV.) quidem Palato adscripsimus, verum quoniam eodem tempore, quo illam actionem descriptam peragit, Pharyngem sursum trahit, breviorem laxioremque reddit, & a constrictoribus Pharyngis superioribus adjutus viam, quæ in nares patet, claudit (n), hic recensemus, ζ Stylopharyngeus Pharyngem attollens, breviorem reddens, inque latera diducens (o).

§. XXXIV. Reliqua hujus Pharyngis pars angustior Oesophagus, seu Gula dicta, est canalis membranaceus ad ventriculum extensus, situs post tracheam juxta longitudinem vertebrarum colli & dorsi, & versus quartam dorsi vertebram parum dextrorsum inflectitur ob arteriam aörtam, deinde ad nonam vertebram tantillum sinistrorsum recurvatur, & tandem diaphragma perforans e regione circiter undecimæ dorsi vertebræ in superiori orificio ventriculi, cardia dicto, terminatur (p).

§. XXXV. Ex quinque tunicis hæcce Gula constat (q), nempe 1mo Membranacea quæ cum pleura continua est, 2do Musculosa, quæ ex fibris Longitudinalibus, & orbicularibus constans constrictioni inservit. 3tio Cellulosa fere ut in intestinis, 4to Nervea, cum membrana oris, & interiori ventriculi continua, quæ in varias lamellas dividua, multis vasculis & glandulis instructa a Verheijeno in vasculosam, & glandulosam dividitur (r). 5to Villosa, qui villi non sunt, nisi arteriæ exhalantes, ceram Ruyschianam instar vermiculorum transmittentes, & salivosum liquorem ad ignem non coägulabilem secernentes, quibus arteriis papillæ plurimæ nerveæ intermiscentur, ex quibus tenerrimus ille sensus oritur, qui in Oesophago viget (s).

§. XXXVI. Arteriæ, quæ sanguinem ad Oesophagum deferunt, sunt

(i) Albin. Hist. Musc. Cap. 56. (k) Idem Cap. 55. (l) Idem Cap. 54. (m) Idem cap. 57. (n) Idem Cap. 58. (o) Idem Cap. 46. (p) Dion. Anat. pag. 312. Heist. Comp. Anat. pag. 125. (q) Idem loc. cit. (r) Anat. Cap. de Oesoph. (s) Hall. ad Boerh. Inst. tom. 1. pag. 239.

ſunt Carotides externæ, Aörta, Intercoſtales & Coeliaca, revehunt illum vena Azygos & Coronaria ventriculi (*t*): Nervos habet a pari vago (*u*).

§. XXXVII. Ad ſedem Pharyngis deſcendentis ab hamulo Pterygoideo, inter Palatopharyngeum & Conſtrictorem Iſthmi faucium (§. XXV.), ad utrumque latus Uvulæ prope radicem linguæ, ſita eſt glandula inſignior Tonſilla, vel quoniam figuram amygdalæ pelle nudatæ refert, Amygdala dicta, intus decem & ultra magnis ſinubus perforata, & ex ſuis anfractibus a vicinis muſculis preſſa mucum edens; hæ Tonſillæ communi oris tunica inveſtitæ (*v*), ambæ ſuum ſanguinem accipiunt a vaſis lingualibus & labialibus, qui per multiplices venas redit in ramum ſuperficialem venæ jugularis internæ (*w*). Nervos habent a pari quinto (*x*).

(*t*) Dion. Anat. pag. 313. (*u*) Heiſt. Comp. Anat. pag. 126. (*v*) Dion. Anat. pag. 308. (*w*) Haller. Prim. Lin. Phyſ. pag. 398. (*x*) Heiſt. Comp. Anat. pag. 150.

CAPUT QUARTUM.

De Diagnoſi.

§. XXXVIII. Omnibus his partibus (Cap. 2 & 3.) deſcriptis inflammatis, Angina Inflammatoria adeſt, quæ, ut ex definitione patuit, eſt læſa & admodum dolens reſpiratio, ſeu deglutitio, vel læſa & admodum dolens reſpiratio & deglutitio ſimul cum tumore inflammatorio, quem facile ex ſuis ſignis (*a*), nempe calore, pulſu, dolore, & febri omnis gravioris inflammationis comite fideliſſima, adeſſe ſcimus, & ſic quoque generaliter Anginam Inflammatoriam peccare videmus, verum cum omnes hæ partes non ſunt conſpicuæ, & raro omnes ſimul laborant, opus eſt, ut ex peculiaribus ſignis, functionibus ſcilicet læſis, cognoſcamus, quænam partes affectæ ſint, ut ab ea cognitione tutius ad prognoſin ducamur.

§. XXXIX. Si illæſis aliis partibus, membrana interna aſperæ arteriæ (§. XVI.) inflammatione corripitur (*b*), externa ſigna nulla

(*a*) Boerh. Aphor. de Cogn. & cur. morb. §. 382. (*b*) Boerh. Aphor. 801.

la aderunt, præter febrim & dolorem acutum (*c*), qui ab ægris quidem percipitur, sed ab illis locus dolens diſtincte indicari non poteſt, quoniam inflammatio ſæpe per notabilem longitudinem hujus membranæ diffunditur, ergo hujus Anginæ ſpeciei ſigna ex læſa functione petenda ſunt, quorum præcipua ſunt, 1mo vox acuta, clangoſa, & ſibilans, Aſperæ enim arteriæ ut (§. XIV.) vidimus, præcipuus uſus eſt, non ſolum aërem inſpiratum, & exſpiratum libere transmittere, ſed etiam conſtrictione, & dilatatione vocem variare, cum jam tumor tracheam anguſtans ingreſſum & exitum aëris liberum non admittit, vox fit acuta & ſibilans, quia aër ex pulmonibus expulſus anguſtiorem hunc canalem tranſit, clangoſa cum vaſa majora obſtructa & diſtenta vaſa minora exhalantia comprimunt, unde hæc membrana ſiccior redditur (*d*). 2do Dolor in inſpiratione acutus (*e*), qui oritur, dum membrana hæc inflammata diſtrahitur, cum dilatato thorace aër inſpiratus veſiculas pulmonales inflat, & ſimul Tracheam & Bronchia elongat. 3^tio^ Reſpiratio parva, frequens, & erecta cervice (*f*), cujus ratio facile patet, ſi conſideremus aërem minori copia, & magna cum moleſtia per aſperam arteriam, tumore anguſtatam, tranſire. 4to Pulſus mire & cito vacillans, & anxietas, dependentes ab impedita pulmonum expanſione, quæ naturaliter tranſitum ſanguinis per arteriam pulmonalem promovet, cum jam aër, quo hæc expanſio fieri debet, in hac Angina impeditur ingredi, circuitus ſanguinis per pulmones difficilis redditur, & ſanguis, qui ex dextro corde in ſiniſtrum transvehendus, & mox in arteriam aörtam propellendus erat, ſiſtitur, & pulmones infarcit, unde anxietas; quare quoque tum pulſus vacillat (*g*), cum ſanguis tanta copia non in aortam arteriam propelli poteſt, ut par ſit arteriis dilatandis (*h*).

§. XL. Laryngis membrana interna (§. XVI.), quam cum Trachea communem habet, vel ejus muſculi ſi inflammati ſunt (§.VI.) eandem ob cauſam eadem ſigna exhibent, ac ſpecies memorata, præter quæ ſe adhuc hæc duobus aliis a priori diſtinguit, voce nempe acuta, & ſtridula, & magno inter deglutiendum, & loquendum dolore (*i*), diximus enim (§. V.), rimam Glottidis per cartilagines & muſculos ampliari, & conſtringi pro variatione ſonus in loquela & cantu, cum jam hæc membrana interna, vel muſculi rimæ glottidis claudendæ inſervientes inflammatione tument,

(*c*) van Zwiet Comm. in Aph. Boerh. tom. 2. pag. 656. (*d*) Idem pag. 151. (*e*) Boerh. loc. cit. (*f*) van Zwieten loc. cit. (*g*) Boerh. Aph. de Cogn. & cur. morb. §. 802. (*h*) van Zwiet. Comm. tom. 2. pag. 657. (*i*) Idem 658.

ment, rima anguſtatur, & aër majori impetu per hanc anguſtatam pellitur, unde ille dolor vehemens inter loquendum, vox acuta, & ſtridula oritur.

Alterum ſignum diagnoſticum eſt, ingens dolor inter deglutiendum, cujus ratio (ex §. V.) quoque clare patet, ubi diximus, tempore deglutitionis, Laryngem attolli, dum Linguæ radix intumeſcens in poſteriora ſurgit, unde ſequi debet, dolorem maxime acutum inter deglutiendum augeri, dum Larynx inflammata tam valide, & velociter ſurſum movetur.

§. XLI. Altera Angina externe ſæpe non conſpicua, ſi muſculi ſoli elevando oſſi hyoidi (§. XXII.), & Laryngi (§. VI.) inſervientes inflammati ſunt, facile a præcedentibus dignoſci poteſt, & quidem ſequentibus ſignis, quorum primum eſt, reſpiratio ſatis libera, & vox nec acuta, nec clangoſa, aër enim libere Laryngem, & Aſperam arteriam ingredi, & egredi poteſt, vaſa quoque exhalantia non comprimuntur, hinc illa Symptomata locum habere non poſſunt; alterum ſignum eſt dolor acutiſſimus in prima actione deglutitionis, qui facile demonſtrat, muſculos huic actioni inſervientes læſos eſſe, qui inſpecto ore, cum profundius recondantur, ſæpe conſpici non poſſunt (*k*).

§. XLII. Quando autem Pharynx ſola, vel una cum ſuis muſculis inflammatione correpta eſt, aperto ore, & inſpectis faucibus apparet (*l*), Clarius vero adhuc, ſolam illam Anginæ ſpeciem adeſſe, ex functionibus læſis liquet, deglutitio enim tum dolet, & impoſſibilis redditur, & deglutienda per nares redeunt, in Aſperam arteriam pelluntur, & violentam tuſſim excitant; vidimus (§. XXXII.) Pharyngem excipiendis, & ingerendis cibis inſervire, cum jam hæc inflammata eſt, illæſis organis reſpirationis, reſpiratio ſatis commoda erit, ſed deglutitio dolebit, & inpoſſibilis reddetur, quoniam Pharynx inflammata a transgredientibus deglutiendis, vel muſculis premitur, & quia muſculi ipſi inflammati tument, & explicari non poſſunt, claudunt viam ingerendis, quæ vi ſatis valida ad Pharyngem urgentur, unde maximus in deglutiendo dolor naſcitur, hinc illa, quibus Oeſophagi ingreſſus prohibitus erat, adjuta a partium dolentium acerbis convulſionibus, viam ingrediuntur, quæ illis patet, nempe ad nares, vidimus quoque (§. XXXII.), Pharyngem ipſam multum conferre ad meatum narium claudendum, ergo, ſi ob inflammationem agere nequit, inge-

(*k*) van Zwiet. pag. 660. (*l*) Boerh. Aphor. §. 804.

gerendæ materiæ facilem ad hunc aditum concedit: Hac ſubita expulſione, quoque vix eſſe poteſt, quin quidquam hujus materiæ in Laryngis rimam, quæ hic patula eſt, incidat, unde tuſſis illa violenta producitur (*m*). Similia ſigna dantur, ſi pars ſuperior Oeſophagi inflammata eſt (*n*).

§. XLIII. Si inflammatio locum habeat in Tonſillis (§. XXXVII.), Uvula (§. XXVII.), Velo Palatino (§. XXIV.), & ejus muſculis (§. XXV.), facile quoque hiante ore, & inſpectis faucibus, apparet, quibus omnibus, vel pluribus inflammatis præterea hæc ſingularia ſigna adſunt; 1mo Deglutitio dolet (*o*), quod ex earum partium functionibus (citatis paragraphis) deſcriptis, clarum eſt, 2do reſpiratio difficilis eſt, ſi memoratæ hæ partes multum intumuerint, aër enim per ſpatium has partes interjacens tumore jam inflammatorio anguſtatum transgredi non poteſt, & per nares ſæpe quoque ingredi nequit,quia membrana poſticampartem Veli penduli tegente quæ continuatio eſt membranæ internæ narium (§. XXIV.), inflammata, tumet membrana narium, earum aperturam in faucibus minuit, & integre ſæpe claudit (*p*). 3^tio^ Perpetuum & copioſum ſtillicidium pituitæ, antea vidimus, haſce partes mucoſis cryptis plenas eſſe, qui mucus majori copia exprimitur, cum hæ partes valde tument, emiſſaria dilatantur, & ab acuto dolore irritantur, præter hæc mucus ille majori copia colligitur, quia ob dolorem non deglutitur, unde continuo deſtillat (*q*). 4to Ultima & notabilia ſigna, quibus ſæpe hæc Anginæ ſpecies ſe detegit, eſt dolor acutus in aure interna, & Tuba Euſtachiana, crepitatio in aure tempore deglutitionis, & ſæpe perfecta ſurditas, (§. XXXI.) vidimus, Tubam Euſtachianam ſupra Velum pendulum in faucibus patulam eſſe, & interne obductam eſſe membrana, continua membranæ internæ narium, & Veli Palatini (§. XXIV.), ex quibus facile patet, quoque hanc membranam, una cum memoratis adeo vicinis partibus, corripi poſſe; cum jam hæc membrana inflammata adeo tumet, vel orificium Tubæ Euſtachianæ a vicinis partibus tumentibus ita premitur, ut aër libere tranſire nequeat, tempore deglutitionis dum partes illæ inflammatæ moventur, crepitatio, & cum via aëri integre obturatur, perfecta ſurditas oritur (*r*).

§. XLIV.

(*m*) Van Zwiet. loc. citat. (*n*) Boerh. Aph. 805. (*o*) Van Zwiet. Comm. in Boerh. Aph. tom. 2. pag. 663. (*p*) Idem 667. (*q*) Boerh. Aphor. loc. cit. van Zwiet. tom. 2. pag. 666. (*r*) Valſ. Tract. de Aur. Hum. cap. 1. §. 10.

§. XLIV. Ex hisce unusquisque facile percipiet, Anginam Inflammatoriam eo sæviorem esse, quo plures partes correptæ sunt; Quam miseranda sæpe non in illis miseris symptomata videmus? Omnes capitis partes tument, & rubent, Os hiat, Lingua tumens amplius ore contineri nequit, livida & intorta prominet, spuma ex ore prodit, cerebrum suffocatur, unde omnes sensus tam interni, quam externi hebescunt (*s*), quæ omnia causantur, quia sanguis in venas jugulares externas, vel per has compressas redire nequit, & tamen continuo ab arteriis adfertur, si enim venæ jugulares externæ a vicinis partibus inflammatis compressæ sint & angustatæ, sanguis quidem ab Encephalo per internas jugulares transire potest, verum non a facie, oculis, Labiis, & Lingua, quarum partium venæ se in jugulares externas exonerant, quæ tum repletæ turgent, & omnem sanguinem, quem Carotidis rami externæ adferunt, recipere nequeunt, quare tum sanguis multo majori copia per ramos Carotidis internæ cerebrum petit, nimium replet, & sic ejus functiones turbat & suffocat (*t*).

(*s*) Boerh. Aph. de cogn. & cur. morb. §. 807. (*t*) Van Zwiet. ad Boerh. Aph. Tom. II. pag. 669.

CAPUT QUINTUM.

De Anginæ Inflammatoriæ causa Occasionali.

§. XLV. Cognita jam Angina, ejusque sede, ordo exigit ut causas ejus inquiramus, quæ, licet multifariæ, in tres tamen classes commode redigi possunt, Occasionalem scilicet, Remotam seu Prædisponentem, & Proximam, quarum prior Græcis προκαταρκτική & πρόφασις dicta, quæ partes ita disponit, ut morbi capaces sint, iterum in quatuor classes subdividi potest, quarum Prima ingesta, Secunda gesta, Tertia retenta & excreta, & Quarta applicata continet (*a*). Prima ergo Classis omnia ingesta comprehendit, inter quæ aëris noxæ primo nobis examinandæ occurrunt.

§. XLVI. Aër, si nimis calidus & siccus est, corpora ad suum calo-

(*a*) Boerh. Instit. §. 744.

caloris gradum calefacit, humores rarefacit, eorumque volumen auget, & sic vasa continentia supra tonum distendit, & ita laxat, ut humorum impetui legitime resistendo imparia reddantur, unde tum error loci nascitur (*b*), cum humores crassiores in minora vasa protunduntur, in iis stagnant obstructionem, & per consequens stimulo agente inflammationem efficiunt; Præterea Aër calidus siccus tenuiorem, volatilem, spirituosam, & aquosam humorum partem, de poris superficiei corporis, tam internæ, quam externæ, dissipat, unde per jacturam subtiliorum, crassiora inspissantur, immeabilia redduntur, & vasa obstruunt, quare facile patet, partes (Cap. 2. & 3.) descriptas, præ cæteris nimium excalefactas, & inde distentas & laxatas, humores ad se attrahere, contentos rarefactos in aliena vasa admittere, & sic infarcire, ut agente stimulo a tergo urgente, rubor, dolor, calor, pulsus, §. (XXXVIII.) & sic nostra calamitas oriatur: Per calorem quoque aëris nimium partes salinæ alcalescunt, putrescunt (*c*), & in sal alcalinum volatile abeunt, partes oleosæ rancescunt, a partibus salinis, quibus conjunctæ erant, deferuntur, inertes redduntur, stagnant, vasa obstruunt, inflammationemque inducunt (*d*).

§. XLVII. Frigidus nimis aër partes solidas contrahit (*e*), rigefacit, & earum elasticitatem auget (*f*), unde cava canalium arctantur, humores contenti coguntur, motum intestinum perdunt, inertes redduntur, immeabiles stagnant, obstructionem, & inflammationem producunt (*g*).

§. XLVIII. Aër nimis humidus laxando & debilitando fibras, earum vim contractilem dilatitioni resistendæ imparem reddit, unde facile sanguis accumulari, vasorum parietibus adhærere, & sic obstructionem inflammationemque progignere potest (*h*).

§. XLIX. Aër, si nimis gravis sit, canales & humores totius corporis comprimit (*i*), quæ pressio, sicubi æqualiter agit, quidem facile fertur, dum sanum robur auget, verum majori momento in nostras partes directa, comprimendo & arctando vasa nocere potest, & exprimendo humores (*k*), eosque in nostras partes determinando, facile nostrum morbum inducere valet.

§. L. Aër vero nimis Levis magis nocere valet, quam gravis (*l*) in ea enim aëris conditione humores minus premuntur, rare-

(*b*) Gaub. Pathol. §. 424. N. 2. (*c*) Idem §. 424. N. 7. (*d*) Boerh. Instit. §. 746. (*e*) Musschenbr. beginf. der Natuurk. §. 936. (*f*) Gaub. Path. 427. 1. (*g*) Boerh. Instit. §. 747. (*h*) Idem 748. (*i*) Idem. §. 750. (*k*) Gaub. Pathol. §. 434. (*l*) Idem §. 435.

rescunt, & vasa expanduntur, cui expansioni, aër gravior resistebat, unde arteriæ secundi generis tam amplæ fiunt, ut liquida primi generis recipiant, & sanguis in aliena vasa transeat, quod in cute videmus post violentam suctionem, vel applicatam cucurbitam (*m*).

§. LI. Quam subito, nostram Anginam subitæ frigoris, & caloris vicissitudines producere valeant, omnium Medicorum observatio docet, & facile quoque ex dictis hisce intelligi potest; Hippocrates quoque jam monuit (*n*), Vere, & autumno (*o*) maxime regnare Anginas, cujus rei exemplum nobis exhibuit eruditissimus Commentator Van Zwieten (*p*) dicens, *Lethalem quarto die Anginam ab hac causa natam dolui in optimo cive hujus urbis, qui medio mense Majo in hortulo suburbano sedens, blando solis Verni tepore delectatus, obdormiverat in seram vesperam usque, & nocte sequente pessima Angina corripiebatur, quæ illum, frustra tentatis efficacissimis remediis, de medio sustulit.*

§. LII. Malignitatem aëris, aptissimum nostri mali auctorem, præsertim Epidemici, non enucleabimus, quoniam non a proprietatibus aëris, verum ab aliis partibus volatilibus noxiis aërem concomitantibus hæret, sed tantum verba Divi Boerhavii repetemus, dicentis (*q*), *Coelum, anni tempestas, solum, mare, montes, lacus, paludes, flumina, vapores, exhalationes, & meteora aërem ita permutant, ut varios morbos creënt.*

§. LIII. Sequuntur jam alimenta & potulenta, inter quæ quoque medicamenta intelligi possunt, quæ corpora, licet per vires vitales, & actiones naturales elaborata, & nostræ naturæ assimilatæ vitæ pabulum suppeditent, duplici tamen modo peccare possunt, qualitate & quantitate; Quantitate noxam adferunt, excessu scilicet, vel defectu (*r*).

Alimenta enim per nimiam repletionem ventriculum distendunt, unde Arteria aörta comprimitur, & sanguis ægrius per eam descendit, quare tum majori copia ad partes superiores premitur (*s*), nostrumque malum producit.

§. LIV. Per defectum ciborum, seu inediam diu toleratam una cum abstinentia a potu (defectus enim cibi utcumque potu levatur (*t*)), menstrua primæ digestionis novis ingestis non miscentur nec

(*m*) Hall. ad Inst. Boerh. ad parag. 751. (*n*) Sect. 3. Aphor. 20. (*o*) Idem Aphor. 22. (*p*) Tom. II. pag. 654. (*q*) Boerh. Instit. Med. Par. 752. (*r*) Idem Par. 755. (*s*) Hall. ad Boerh. Instit. Par. 756. (*t*) Gaub. pathol. §. 454.

nec diluuntur, nec temperantur, vis vitalis agere pergit, cujus actio in motu & attritu consistit, ergo acria fiunt, & ad putrefactionem prona alios humores inquinant, unde diathesis, & noster morbus nasci potest, & quidem eo facilius, quo circulatio humorum intensior, motus animalis fortior, calor auctior, & copiosior excretio & dissipatio sit (*u*).

§. LV. Defectus potus eadem, & pejora mala profert, præsertim aëre calido sicco conjunctus, quam Inedia, tum fauces aridæ redduntur, quod in iis, qui æstivo tempore per loca arida & sabulosa iter faciunt, manifestum est, totum eorum os & fauces sic exsiccantur, ut deglutitio dolens, & sæpe impossibilis fiat, donec largo potu hæ partes rursus humectentur, ultima enim emissaria vasorum exhalantium exsiccantur, arescunt & impervia redduntur, tum per sanguinem urgentem fines obstructos horum vasorum, hæc vascula dilatantur, & crassiores sanguinis partes admittunt, unde per errorem loci obstructio, & Angina inflammatoria creatur (*v*).

§. LVI. Jam examinabimus qualitatis ingestorum noxias, quas omnes cum Celeberrimo Boerhavio (*w*) ad acrimoniam, viscositatem, vel oleositatem revocamus, quarum prior maxime ad nostrum morbum producendum habilis est, cum binæ aliæ e longinquo nostrum malum producunt, saltem non tam subito quam acrimonia, quæ multiplex est, ut oleosa rancida, muriatica, acida spontanea, vel fermentata (*x*), alcalescens (*y*), aromatica, spirituosa &c. Harum autem singularum qualitates acres, nostro morbo pariendo aptas, in singulis disquirere, nimis longum foret, sufficit generaliter dicere, harum unamquamque, miseram & præsertim quidem nostram inflammationem progignere posse, cum stimulo suo æque externe, quam interne vasa irritare & spasmodice constringere valent, unde liquet, piper aliaque acria & spirituosa, ad Uvulam pendulam supprimendam adhibita, nostram quoque calamitatem producere posse, cujus exemplum Hildanus nobis reliquit, de quodam Catarrho Laborante Uvulæ, cui ab imperito pulvis acris causticus, ad supprimendam Uvulam applicatus erat, & qui postea periculosa Angina laborabat (*z*).

§. LVII. Visciditas ciborum, si valido naturæ robore non subigitur chylum nimis glutinosum reddit, inde tardiorem humorum circuitum producit, excretionem & secretionem impedit, & hinc stagna-

(*u*) Idem loc. cit. (*v*) Van Zwiet. Tom. II. pag. 655. (*w*) Boerh. Inst. Med. Par. 759. (x) Idem Par. 760. 761. (y) Gaub. Pathol. §. 461. & Boerh. parag. 762. (z) De Ang. cap. 2.

ſtagnationem, infarctum obſtructionemque efficit (*b*) ſicque noſtro morbo anſam præbet.

§. LVIII. Oleoſa & pinguia, ſeu blanda ſint, ſeu in acrimoniam verſa peccare poſſunt, blanda enim viſcoſitatem, memoratam ante noxiam (§. LVII) inducere valent, per mucum, qui naturaliter pinguedini ineſt, præterea partes Oleoſæ minoribus vaſculis impactæ, & humorum transitum impedientes, Obſtructiones (*c*), & ſic noſtram Anginam parere poſſunt.

Eadem vero magis nocent, cum vel ſpontanea corruptione, vel coquinari præparatione, vel coctionis vitio acria & rancida reddita ſunt, quoniam iſte rancor ſemel ſuſceptus vix domabilis peſſimâ ſuâ acrimoniâ omnia rodit, urit, calorem, & ſtimulo ſuo circulationem intenſiorem profert, inflammationemque inducit (*d*).

§. LIX. Potulenta vero magis adhuc, quam alimenta, ſuis qualitatibus nocere valent, quum acrimonias memoratas ſæpius poſſident (§. LVI), acre enim Spirituoſum ſimplex vel compoſitum fluida denſat, & ſpiſſat, fibras irritat, conſtringit, motum humorum auget, unde eorum rarefactio, ſubtiliorum diſſipatio, & craſſiorum accumulatio oritur, unde errores loci, obſtructiones, inflammationes & inter eas noſter morbus naſcitur (*e*).

§. LX. Frigus immodicum & fervor maxime hic quoque nocere poſſunt, frigida autem cum partes internas attingunt, calore nativo fotas & calefactas, earum fibras irritant, vaſa, arctant, orificia eorum ſtringunt, humores coägulant (*f*), & hinc ſæpiſſime Anginam inflammatoriam producunt, quare hauſtus aquæ frigidæ calefactis partibus facile inflammationem infert; Hildanus nos aquæ frigidæ in hac occaſione facultatem docet (*g*), cum exemplum puellæ proponit, cujus acuta febre laborantis manus aquæ frigidæ immerſæ gangræna corripiebantur, unde clare patet maxime eorum morem eſſe damnandum, qui vinis, condimentis, aliisve ex cauſis æſtuantes. Cibis potibusque glaciatis refrigerationem quærunt (*h*).

§. LXI. Quantum autem fervor eorum ſua noxia in deglutitionis organa agere poſſit ſatis liquet, combuſtionem enim, inflammationem, & noſtram Anginam profert. Calida quoque easdem noxas

(*b*) Gaub. Pathol. §. 285. (*c*) Idem §. 459. (*d*) Idem §. 328. (*e*) Idem paragr. 467. (*f*) Idem paragr. 476. (*g*) De Gangr, & Sphac. Cap. 4. (*h*) Gaub. Pathol. §. 479.

xas infert, & graviores quam aër calidus humidus (§. XLVI. & XLVIII.).

§. LXII. Inter alimenta, & potulenta (§. LIII.), retulimus medicamenta, & quidem intempeſtive adhibita, quæ eodem modo, iisdemque noxiis noſtrum morbum producere valent, præſertim acrimoniâ, qua ſolida valde irritando, & ſtimulando motus convulſivos, & ſpasmodicos producunt, præter quod violentiora & draſtica purgantia liquidiores humorum partes expellunt, & craſſiores relinquunt, ſicque humores ad obſtructionem aptiores reddunt.

§. LXIII. Ad ingeſta quoque referri poſſunt Venena, ſeu illa, quæ virus in ſe habent, quæ uti Celeberrimus Gaubius rectiſſime definit (*h*) ſunt, *ea, quæ per exigua mole ingeſta corpori humano, aut a foris admota, vi ſingulari, nec moli reſpondente, effectus producit exſpectatione longe majores, qui in perniciem vitæ ac ſanitatis tendunt.* Hæc quidem in uno tertio, qualitatibus ſuis nocentibus inter ſe conveniunt, quod pleraque, ſi non omnia, in principium vitale agunt, cujus vel irritando motus perturbant, vel torpefaciendo peſſumdant, varia vero varie agendi facultates poſſident (*i*), quædam enim agunt acritate mechanica fracturas & vulnera inferente, quædam acrimonia chemica manifeſta vel occulta, quæ partes ſolidas irritans ſpasmos, convulſiones, & dolores producit, & vaſa conſtringendo humorum immeäbilitatem, eademque rodendo ecchymoſes aliaque mala efficit, quædam vi ſeptica putredinem diffundente ſolidorum æque ac fluidorum cohæſionem tollunt, quædam per deleteriam ſuam poteſtatem vaſa conſtringunt, humores coägulant, motum & circuitum eorum impediunt, ſecretiones & excretiones prohibent.

Quantum hæc Venena in præſcriptas noſtras partes peccare poſſint, ſatis ex earum ſitu patet, hæc enim non tantum ingeſta, verum quoque per deglutitionem & per ſolum halitum illas lædere poſſunt, & ſic noſtram Anginam procreare valent.

§. LXIV. Secuunda jam nobis claſſis examinanda occurrit, quæ geſta continet, inter quæ motus corporis, & animi, & utriusque quies, ut & ſomnus & vigilia referuntur.

Motus corporis iterum ad duas claſſes referri poteſt ad totius ſcilicet corporis motum, & partis (*k*).

Mo-

(*h*) Path. §. 486. (*i*) Idem a Par. 488. ad 492. (*k*) Boerh. Inſt. Med. §. 766.

Motus totius corporis licet, si moderatus sit, multum boni præstet, immodicus tamen multorum morborum, & sæpe nostri mali causa est, quare fortis equitatio, & præsertim vento adverso & frigido tam sæpe Anginæ inflammatoriæ auctor est (*l*), ex Physiologicis enim constat, motum humorum per musculorum actionem intendi (*m*), qui alternantibus suis contractionibus vasa tum comprimunt, tum laxant, quo fit, ut canales vicinæ, & receptacula premantur, arctentur, aliæ iterum remittantur & laxentur, unde tum sanguinis motus intensior fit, & ille majori copia, & impetu ad cor vehitur, quod tum irritatur, citius se contrahit, velocius sanguinem expellit, & sic circulationem intendit, attritum auget, eosdemque fere effectus, ac aër nimis calidus (§. XLVI.), profert, tum frigidus ventus adversus, aërem vicinum a calore nostri corporis calescentem omni momento difflat, & frigidus aër statim in ejus locum succedit, fauces ingreditur, & idem efficit, quod (§. XLVII. & LI.) diximus, eadem ex causa illi, qui validos labores aëre frigido perficiunt, Anginam acquirunt (*n*).

§. LXV. Quantum validum, & frequens nostrarum partium exercitium faciat, ad hunc excitandum morbum, quotidiana docet experientia in illis, qui ratione muneris diu & cum vehementia perorare debent, in canentibus, & illis, qui tubas fistulasve inflant, quibus omnibus facies, Oculi & Labia turgent, vehementer rubent, & sanguine quasi suffunduntur, & valde calent (*o*), unde etiam fit, ut copiosus sudor guttatim de facie destillet, quod clare demonstrat, sanguinem per valida hæcce exercitia, majori copia, & validiori impetu per harum partium vasa propelli, vasa minora dilatare, ac illa dilatata intrare, adeoque per errorem loci facile Anginam progignere posse, præsertim, si homines hisce exercitiis calentes incaute mox se aëri frigido vasa constringenti, exponunt, quod (§. LI.) explicuimus.

§. LXVI. jam sequitur, ut videamus, quomodo animi motus, seu affectus morbo nostro ansam præbere valeant, verum omnes enumerare, & exponere, integrum volumen requireret, & brevitati, quam observare decrevimus, non responderet, sufficiat ergo præcipuorum effectus ad nostram inflammationem producendam habiles, disquirere. Primo ergo examinemus, quomodo ira fu-

(*l*) Idem Aphor. de cogn. & cur. morb. §. 799. (*m*) Idem Inst. Med. loc. citat. (*n*) van Zwiet. in Aph. Boerh. tom. 2. pag. 654. (*o*) Idem pag. 653.

furor ille brevis agat, hæc ſolida irritat, omnes humores incendit, ſanguinem a centro ad circumferentiam corporis magna cum vehementia propellit, circuitum turbat, errores loci infert, eosdemque edit effectus, ac motus nimius (§. LXIV.) ſicque Anginam inflammatoriam facile producere valet, unde Poëta canit (*p*).

Ora tument ira, nigreſcunt ſanguine Venæ,
Lumina Gorgonio ſævius angue micant.

Eosdem fere effectus edit Æſtus Venereus, quod ſi non alia, ſatis Criſta Galli, præſertim Gallinacei demonſtrat.

§. LXVII. Secundo loco ponimus terrorem, qui contrario agens modo iræ, ſanguinem a peripheria ad centrum repellit, cum vaſa minora conſtringens humores verſus majora cogit, hic Syſtema nerveum violentiſſime irritat, & hoc quaſſando ſpasmos ac convulſiones inducit, innumera mala producit, & ſæpiſſime noſtra loca afficit, convellit, & conſtringit, unde facile patet, noſtrum morbum oriri poſſe, quare Virgilius terrorem deſcribens dicit (*q*).

Obſtupui ſteteruntque comæ vox faucibus hæſit.

Magnus & improviſus metus pleraque cum terrore communia habet (*r*).

§. LXVIII. Mœror quoque enormis & diuturnus cauſa eſſe poteſt noſtri morbi, efficit enim, ut vis nervea langueat, partium tonus deſtruatur, & motus vitalis imminuatur, unde homo triſtis pallet, pulſus rarus & tardus, circulatio lenta, & viſciditas humorum oritur, hinc coägulatio, obſtructiones, & ſic noſtra calamitas naſci poſſunt, quare Regum ſapientiſſimus in ſuis proverbiis dicit (*s*), *in mœrore cordis langueſcit ſpiritus*, & poſtea (*t*), *ſicut tinea veſtimento, & vermis ligno, ita Triſtitia viri nocet cordi.*

§. LXIX. Motus jam ſequitur quies, quæ moderata maxime ſalubris eſt, quare Ovidius canit (*u*).

Otia corpus alunt, animus quoque paſcitur illis.

Immoderata vero innumerabilium malorum cauſa eſt, illa enim modum excedens humorum circuitui torporem inducit, unde facile

(*p*) Ovid. de Art. Amand. Lib. 3. (*q*) Æn. 2. vſ. 774. (*r*) Proſp. Alpin. de Præſ. L. 1. Cap. XI. (*s*) 15. (*t*) 25. (*u*) De Ponto Lib. 1.

le eorum ſtagnatio, per illam obſtructio, & ſic inflammatio oriri poteſt, unde libenter concedi poteſt, hæcce partibus noſtris applicata Anginam inflammatoriam producere poſſe, præſertim ſi motus intenſior ſubſequatur, qui in hoc ſtagnans & obſtruens impetum facit.

§. LXX. Jam ſuo ordine ſomnus & vigilia ſequuntur, cujus utriusque exceſſus Hippocrate teſte malus eſt (*v*), ſomnus enim nimius univerſæ animalium functionum officinæ torporem infert, eosdemque ſi non pejores effectus, ac nimia quies producit.

§. LXXI. Vigilia nimia ut Divus Boerhavius monet (*w*) conſumit ſpiritus, nulla arte, niſi ſomno reparabiles, in hac enim ſemper datur actio major vel minor ſenſuum internorum & externorum, & motuum voluntariorum, & per eorum continuatam actionem vires vitales humores circumducentes incitantur (*x*), unde circulatio creſcit, attritus augetur, calor naſcitur, humorum ſubtiliorum diſſipatio, craſſiorum accumulatio, ſalium & oleoſorum acrimonia, & ſolidorum detrimentum efficitur & ſic obſtructio, indeque Inflammatio producitur.

§. LXXII. Tertia jam nobis exhibenda claſſis eſt, nempe de eorum excretione, quæ retinenda, & de retinendo, quæ excernenda erant; Inter ea, quorum nimia excretio nocet, primo loco ponimus ſalivam, hæc enim, ut ex Phyſiologicis patet maxime ciborum coctioni & digeſtioni inſervit, & inde ſequitur, ejus penuriam alimentorum coctionem debilitare, ſitim, ſiccitatem, & Chyli ſpiſſitudinem, ejusque difficiliorem abſorbtionem cauſare (*y*), præterea per ejus exſputionem ſanguis ſua Lympha Orbatur, concreſcit, vaſa obſtruit, & ſic inflammationem producit, & maxime noſtras partes adficere poſſe patet, cum fauces per exſputionem ſalivæ humectatione privantur, aridæ redduntur, & exſiccantur.

§. LXXIII. 2do Perſpiratio inſenſibilis, quæ ſi modum excedat, partes humorum ſubtiliores & fluidiores excernit, unde reliquæ accumulantur, ſtagnant, & vaſa obſtruunt, quod idem in ſudore, Lacte & Urina quoque locum habet.

§. LXXIV. 3tio Veneris abuſus, ſeu immoderata ſeminis, utiliſſimi illius humoris profuſio, quæ non ſolum, efficit, ut corpus ejus jacturam experiatur, enervetur, & debilitetur, verum organa

(*v*) Sect. 2. Aphor. 3. (*w*) Inſt. 768. (*x*) Gaub. Pathol. §. 507. (*y*) Idem §. 557.

na ſpermatopœa, uti ac alia noſtri corporis colatoria, ſemper jacturam, quam paſſa ſunt, replere conantur aliunde trahendo humores (z), unde tum reliquæ partes exſiccantur, et exhauriuntur, præterquod motus convulſivus, quo ejaculatur ſemen, magnum impetum in humores faciat, unde facile errores loci, obſtructiones, et inflammationes oriri poſſunt: Reliquæ porro evacuationes, quæcumque ſint, ſi modum excedant, et liquidioribus diſſipandis craſſiora accumulant, omni inflammationis diatheſi anſam præbent.

§. LXXV. Quam graviter retenta, quæ excernenda erant peccare poſſint, 1mo nos docent hæmorrhagiæ conſuetæ, a natura vel arte exhibitæ, retentæ, ut Lochiorum & menſtruorum ſuppreſſio, hæmorrhagiæ narium, & hæmorrhoidum fluxus ſubſiſtentia (*a*), & venæ ſectionis conſuetæ omiſſio, quæ hæmorrhagiæ periodice fluere conſuetæ, ſi interceptæ ſunt, diras & topicas inflammationes producunt (*b*), Plethora enim inde naſcitur Oeconomiæ moleſta, & vaſis improportionata, (de qua poſtea), præterea notandum eſt, ſuprapondium humorum per vias ſolitas evacuari nequiens alias ſibi egrediendi vias quærere & valde mirabiles alibi hæmorrhagias facere, ſic videmus, foeminas, quibus menſes ſuppreſſi ſunt, ſanguinem per pulmones, alias per angulum majorem oculi, alias ex ventriculo (*c*), alias e naribus, alias ex digitis, uberibus, per vulnera, et aures, aliasque aliis ex locis evacuare (*d*), quæ hæmorrhagiæ, ſi ad noſtras partes deriventur, facili negotio noſtram inflammationem cauſare poſſunt (*e*).

§. LXXVI. 2do Suppreſſio alvi, qua fæces accumulantur exſucca dureſcunt, inteſtina infarciuntur, eademque impervia redduntur, ventrem diſtendit, unde ille tumet, vaſa comprimuntur, & humorum circuitus intenditur, & noſter morbus oritur (*f*).

§. LXXVII. 3tio Perſpiratio inſenſibilis prohibita, quæ eodem modo ac alia acria agit (*g*), nam humor perſpirabilis, qui alias, purgandorum humorum gratiâ, excernendus erat, ſtagnat & acris redditus iterum circuitui communi traditur; ſic quoque Urinæ ſecretio impedita efficit, ut ſerum urinoſum in ſanguine retineatur &

(*z*) Idem §. 562. (*a*) Bagl. prax. Med. pag. 126. (*b*) Boerh. Inſt. Med. §. 775. & Hall. ad loc. cit. (*c*) Boerh. Aphor. de cogn. & cur. morb. §. 1286. (*d*) Idem prax. med. Tom. 5. pag. 218. (*e*) Hild. de Angin. Cap. 2. (*f*) Gaub. Path. §. 558. (*g*) De Gort. de perſp. inſenſ. Aph. 191.

& reliquos humores corrumpat, ſicque noſtro morbo producendo aptos reddat (*h*).

§. LXXVIII. 4to Huc quoque ſpectare videtur in viris vita coelebs & monaſtica, in quibus humor præſtantiſſimus reſorbetur, ſanguini reſtituitur, & omnibus organis robur & elaterem inducit, unde Chylopoieſis & Hæmatopoieſis majori cum vigore procedentes humorum copiam augent, Plethoramque inducunt, (de qua poſtea), præſertim in corporibus nimis quieſcentibus & non ſatis exercitatis.

§. LXXIX. 5to Vermes hic recenſendi videntur, qui movendo, vellicando, & rodendo nervos irritant (*i*), & ſic omne genus motuum ſpaſmodicorum inferunt (*k*), innumera, & inter ea forte noſtrum morbum producunt; Topice vero agere, & noſtrum morbum producere poſſe ex Hallero conſtat, referente, ſe Puellam decennem vidiſſe ſuffocatam a vermibus, cujus Os & fauces (omnibus viſceribus ſaniſſimis) Lumbricis plena erant, inque cujus aſpera arteria ad cordis ſedem, & in pulmonis principio, duo Lumbrici Teretes dicti reperti ſunt (*l*).

§. LXXX. 6to Huic claſſi annumerandi ſunt omnes humores per metaſtaſin ad noſtras partes delati, ſive acres ſive blandi ſint, ut V. G. pus, ichor, ſanies, bilis &c., quæ licet blanda ſint, tamen noſtro ſanguini aſſimilari nequeunt, facile ab eo ſeparantur, parietibus vaſorum adhærent, ſtagnant, obſtructiones, & hinc quolibet agente ſtimulo inflammationem producunt; Quantum autem hi humores ſtagnantes noceant, ſi acria reddita ſunt, ſatis clare ex iis, quæ (§. LVI) de acrimoniis diximus, liquet.

§. LXXXI. Tandem agmen Procatarcticarum cauſarum claudunt applicata, inter quæ primo loco recenſenda veniunt veſtimenta, quæ, ſi anni tempori vel coeli viciſſitudinibus accommodata non ſunt, nimis intempeſtive retinentur vel citius deponuntur, multum inſenſibili perſpirationi nocere poſſunt, quia humidis plus vel minus combibendis & retinendis excretionem cutaneam augent vel impediunt, & nimios ſudores provocare poſſunt, cum partes corporis exteriores a veſtimentis fotæ atmoſphæræ frigore potiri nequeunt, unde illarum calor augetur, quæ partes calefactas laxat, & ſic humoribus via paratur aliis partibus egrediendi, & has ampliores intrandi, ſi vero citius deponuntur a frigore illæ partes con-

(*h*) Gaub. Path. §. 559. (*i*) Boerh. Inſt. Med. §. 792. (*k*) Gaub. Path. §. 589. (*l*) Opuſc. Pathol. pag. 20.

constringuntur, iidemque effectus producuntur, quos (§. LXVII) exposuimus (*m*).

Praeterea quoque vestimenta intemperata suo pondere, & nimis angusta suâ constrictione, partes solidas premunt; earum fibras compingunt, sic vasa arctant, & adfluentes humores sistunt, contentosque expellunt, unde fit, ut humores ad partes non pressas majori copia, & intensiori impetu fluant, in iis accumulentur, et vasa distendant, eademque mala, ac in motu nimio (§. LXIV) exposuimus, procreënt.

§. LXXXII. Secundo Epithemata, quæ omnia brevitati studiosi non exponemus, verum tantum memorabimus. illa vario nomine varie agere, quædam enim emolliendo partes laxant, unde facilis errori loci, et inde obstructioni via sternitur, alia poros occludendo transpirationem supprimunt, alia stimulando vasa spasmodice contrahunt, alia absorpta, et per totum corpus diffusa varios effectus producunt, alia frigore constringente peccant, aliaque aliis modis operari valent (*n*).

§. LXXXIII. Tertio ignis majori vi in corpus agens, qui quaslibet inflammationes producere valet (*o*), eodemque enim & violentiori modo agit, eosdemque & pejores adhuc effectus edit, quam aër calidus, (§. XLVI). Tandem et quarto omnia solida, mole, pondere, figura, duritie &c. laedentia, ut acus, fragmenta vitrea vel metallica, glandes, & similia, quot et quam funestæ sæpe, ab hujusmodi corporibus oesophago inhærentibus, productæ calamitates non quotidie occurrunt, tot enim, ut supervacaneum foret has enumerare.

Quam repente Laryngi impacta. vel in Tracheam detrusa suffocent, inflammationemve inducant (*p*), innumeri nos docent Auctores inter quos Celeberrimus Haller nobis exemplum tradidit (*q*) cujusdam pueri, qui a nuce avellana infra glottidem sub inferioribus ligamentis in ima cartilagine Thyreoïdea super ostium asperæ arteriæ hærente suffocatus erat.

Sic præcipua, quæ inter causas occasionales nostri morbi referri possunt, breviter exhibuimus, ordoque exigit ut ad causam Remotam seu prædisponentem nostro morbo producendo habilem, trsnsgrediamur.

(*m*) Gaub. Path. a §. 592. ad 595. (*n*) Boerh. Inst. Med. §. 779. (*o*) Gaub. Pathol. §. 601. (*p*) Idem §. 604. (*q*) Opusc. Pathol. pag. 19.

CA-

CAPUT SEXTUM.

De Anginæ Inflammatoriæ causa Remota seu Prædisponenti.

§. LXXXIV. Causa prædisponens quæ Græcis προηγȣμένη dicitur, est conditio quævis corpori inhærens, sive cum eâ nato, sive post nativitatem adepto, quâ corpus aptum est morbo accipiendo, ij causa occasionalis superveniat (*a*), hæc multiplex in innumeras species redigi posset, quarum tantum præcipuas, ne scopo aberremus, exhibebimus, inter quas Temperies Calida non infimum locum obtinet, hæc autem motu majora humorum dependens satis clare concipi poterit, ex iis, quæ (§. LXIV.) de motu nimio diximus, sic Cholerici temperamenti noxæ maxime iræ dediti, ex Iræ effectibus (§. LXVI.) patent, ergo hisce non immorabimur sed ad Plethoram transibimus.

§. LXXXV. Plethora omnia vasa dilitat majora, unde minora comprimuntur, æquilibrium inter vasa & humores, seu nixus & renixus tollitur, circuitus turbatur, & per consequens actiones languent, humores inertes fiunt, secretiones & excretiones imminuuntur, & sic facile obstructiones producuntur (*b*), & a quolibet stimulo inflammationes creäntur.

§. LXXXVI. Plethoræ maxime favet ætas juvenilis, unde nostræ calamitati producendæ tam apta est, uti jam Hippocrates monuit, *juvenes maxime acutis morbis obnoxius esse* (*c*), & Celsus dicens (*d*), *longis morbis senectus, acutis magis adolescentia patet.* In illis enim vis vitalis, Chylopoiesis, & Hæmatopoiesis in summo vigore sunt, unde humorum suprapondium oritur, & inde nostræ Anginæ via paratur, præsertim si exercitium ab hac ætate vix separabile, nimis sit validum, vel partes ob nimiam suam sensibilitatem a quacumque levi stimulo irritabilia afficiuntur & spasmodice constringuntur.

§. LXXXVII. Absentia requisiti, seu mutilatio inducendæ Pletho-

(*a*) Gaub. Pathol. §. 59. (*b*) Boerh. Inst. Med. §. 781. (*c*) Sec. 3. Aphor. 29. (*d*) Idem Lib. II. cap. 1.

thoræ, & ſic corpori ad noſtrum morbum prædiſponendo valde quoque apta eſt, ſumas V. G. militem robuſtum crure truncatum, & poſtea ſanatum, in illo viſcera in ſua actione pergunt, Chylopoieſis & hæmatopoieſis non imminuuntur, ergo eadem quantitas humorum elaboratur, ac ante mutilationem, ſed ſanguis, ut antea, ad jam ablatum crus fluere nequit, ergo reliqui ſanguinis copia augetur, & ſic brevi Plethora inducitur.

§. LXXXVIII. Sexus quoque Virilis præ Fœminino noſtro morbo patet, fœminæ enim ab humorum ſuprapondio per menſtruationem liberantur, cujus ſuppreſſione illa quoque Anginâ Inflammatoriâ corripi poſſe (§. LXXV.) vidimus; Præterea ſexus Virilis partium ſolidarum fibræ multo ſtrictiores, humoresque denſiores ſunt, quam ſexus delicatioris, unde ad morbos inflammatorios magis pronus eſt.

§. LXXXIX. Ad hanc claſſem quoque pertinet vaſculorum partium noſtrarum minor capacitas, quæ liberum humorum circuitum impedit, ſive a natura, ſive ab alia cauſa exiſtens, ſic adeps vaſa comprimere eaque anguſtare valet, quare Celſus monuit, obeſos plerumque acutis morbis objectos eſſe (*e*).

§. XC. Huc quoque referri poſſunt parietes vaſorum oblinientis muci defectus, rigiditas vaſorum, humorum nimia fluiditas vel tenacitas (*f*), obſtructionibus aptiſſima, ut & multi adhuc alii morbi ſimpliſſimi noſtro malo producendo apti, verum ne diſſertatio noſtra metam transgrediatur, ad cauſam noſtri mali proximam tranſibimus.

(*e*) Idem loc. cit. (*f*) Boerh. Inſt. Med. §. 784. 785.

CAPUT SEPTIMUM.

De Anginæ Inflammatoriæ Cauſa Proxima.

§. XCI. Cauſa proxima illa dicitur cauſa, quæ morbum ita efficit, ut, ſi illa exiſtit, morbus exiſtat (*a*), ſi illa durat, morbus duret, ſi illa mutatur, morbus mutetur, & Tandem, ſi illa tollitur, morbus tollatur (*b*): Hæc ergo cauſa noſtrum

(*a*) Bagliv. Prax. Med. pag. 212. (*b*) Gaub. Pathol. §. 61.

ſtrum malum efficiens eſt, quæ immediate inflammationem noſtrarum partium inducit (*c*), nempe ſtagnatio liquidi arterioſi in minimis noſtrarum partium canalibus, cum preſſione & attritu reliqui ſauguinis moti, & per febrim fortius acti (*d*).

§. XCII. Liquidum hoc arterioſum in canalibus noſtrarum partium ſtagnat vel propria ſua ſpiſſitudine præternaturali, vel coärctatione vaſorum, vel utraque ſimul, quibus fit, ut liquidum hoc non rite illa vaſa permeare poſſit, ſed coërceatur, & ſiſtatur, ſi tum accedit reliqui ſanguinis moti impetus, & febris a tergo urgens in illud ſtagnans, attritus, inflammatio (*e*) & noſtra calamitas producitur.

(*c*) Boerh. Inſtit. Med. §. 799. (*d*) Idem §. 371. (*e*) van Zwiet. tom. 1. pag. 627.

CAPUT OCTAVUM.

De Prognoſi.

§. XCIII. Licet Anginæ Inflammatoriæ, uti ac omnium morborum acutorum prædictiones (teſte Hippocrate (*a*)) non omnino tutæ ſint, neque mortis neque ſanitatis, tamen ex illis, quæ de diagnoſi diximus, clare patet, funeſtiſſimam illam Anginam eſſe, quæ (§. XXXIX.) aſperam arteriam obſidens, & aëri introitum negans ægrum ſuffocat, & eo periculoſiorem eſſe, quo malum magis verſus ſuperiora aſperæ arteriæ hæreat, tum enim ab illo tumore inflammatorio glottis integre claudi, omnem aërem excludere, & ſic ægrum ſuffocare poteſt, quare Hippocrates multis in locis (*b*) dicit Anginam ſine tumore lethalem eſſe, & Celſus monet (*c*), eum ſervari non poſſe, qui ſine ullo tumore febricitans ſubito ſtrangulatur, (quod non intelligendum eſt, cui nullus tumor adeſt, ſed in qua tumor non eſt conſpicuus), quam ſpeciem quoque eodem die, & ſecundo & quarto ſtrangulare aſſerit.

§. XCIV.

(*a*) Sect. 2. Aphor. 19. (*b*) Idem in coac. præn. No. 363. ſect. 5. aphor. 34. Piſo de cogn. & cur. morb. Lib. 2. pag. 313. (*c*) Lib. 2. cap. 5.

§. XCIV. Periculosissima quoque illa est Angina, quæ in Larynge ejusve musculis sedem habet (§. XL.), hæc quam citissime, & paucis sæpe horis hominem suffocat (*d*), cujus exemplum nobis præbet Nobilissimus van Zwieten dicens (*e*), *similem & casum vidi in homine quinquaginta quinque annorum, cui una cum deglutitione læsa vox acutissima & stridula aderat, cum febre non adeo intensa, frustra tentatis omnibus, paucarum horarum spatio periit*, ubi quoque casum memorat, quem Divus Boerhavius noverat cujusdam hominis, qui in convivio simili morbo correptus, & antequam remedium adhiberi potuerit, suffocatus erat, dum convivæ putabant, illum miserum joci gratia acutam vocem fingere; Hujusmodi quoque casum Tulpius nautæ refert (*f*), cujus strangulatio ab incluso spiritu vehementior fuit, quam ut ipsum juverint optima & satis celeriter adhibita remedia.

§. XCV. Si aliæ partes ut Pharynx, musculi os hyoïdes, vel laryngem elevantes, tonsillæ, uvula, velum palatinum, ejusve musculi inflammati sunt (a §. XLI. ad XLIII.), minus respiratio quam deglutitio læditur, partes enim hæ inflammatæ, licet valde tumeant, extrorsum attolli possunt, unde fere semper versus oris cavum prominent, quare laryngis vicina apertura ab his tumentibus non adeo obturatur (*g*), ergo tantus metus strangulatus, & citæ mortis hic non est, verum quum deglutitio impossibilis redditur ægri inediam tolerare coguntur, quam (§. LIV.) vidimus diu toleratam una cum abstinentia a potu nostros humores acres & putrescibiles reddere, unde innumera mala, & tandem mors sequuntur.

§. CXVI. Decurrit porro Angina Inflammatoria consuetum inflammationis iter (*h*), abit nempe in sanitatem, vel in alium morbum;

In sanitatem duplici modo transit, resolutione simplici, & coctione materiæ obstruentis, ejusdemque coctæ materiæ evacuatione; simplex hæc resolutio exitus omnium maxime optabilis fit, cum a superstite vita, vel idoneis remediis materies immeabilis, incarcerata, obstruens, inflammationemque producens ita solvitur, vel vasa obstructa ita disponuntur, ut illa materies in venas transire, vel in majora vasa retropelli queat, fluore concreti, motuque stagnan-

(*d*) Sydenh. Sect. 6. cap. 7. (*e*) Van Zwiet. comm. in Aphor. Boerh. Tom. II. pag. 659. (*f*) Obs. Med. Lib. I. cap. 51. (*g*) Van Zwieten Comm. ad Boerh. Aphor. Tom. II. pag. 664. (*h*) Boerh. Aph. de cogn. & cur. morb. §. 808.

gnantis reductis (i), & sedato simul irritante stimulo (k), quæ sanatio se clare manifestat decremento & quiete morbi, symptomatum imminutione, & restitutione functionum in integrum. (l).

XCVII. Verum cum hæcce resolutio tantum locum habere potest, cum reliquus sanguis fluëns blandus ejusque motus sedatus, materies obstruens parva, & non nimis solidata, & vasa non nimium rigida sunt, hic optimus exitus sæpe sperari non potest, sed tum coctio exspectanda est, quæ tum locum habet, cum materia morbi per actionem vitæ superstitem, aut propriam indolem, vel idonea medicamenta ita mutatur, ut a statu sano minus recedat, mobilior reddatur, ad hunc illumve organum excretorium deponatur, & per criticam evacuationem excernatur, cum remissione, & integra atrocitatis morbi recessione.

§. XCVIII. Si vero inflammatio nimis rebellis se vitæ, naturæ, & artis viribus medicatricibus opponat, in alium morbum abit, nempe in suppurationem, Gangrænam, vel scirrhum; In suppurationem exit, si materies obstruens vasibus adeo impacta hæret, ut omnis aditus diluenti vehiculo intercludatur, quo illa resoluta in venas ingredi posset, & fluidum a tergo urgens suo stimulo illam immeabilem materiem magis magisque in majores angustias vasorum protrudit, unde tum illa immeabilis materia tam immobilis hæret, ut nullo modo ex his angustiis retropelli queat, quare tum (m) vascula distenta rumpuntur, humores suos effundunt, solida solvuntur, leniter putrescunt & fluidis effusis commiscentur, qua solutione & mixtura humor albus, blandus, spissus, & pinguis paratur, qui pus dicitur (n), a quo requiritur, ut humor fluens sit blandus (o), ejusque motus intensior sit, quam in resolutione.

Pauca hæc sufficiant, de nostri mali in suppurationem exitu, cum per hanc mutationem alium nomen sortitur, & tum Angina suppuratoria dicitur, verum quoniam cura maxime differt, operæ pretium erit, ut signa, quibus nostra inflammatio, se in suppurationem abituram esse, vel jam abiisse, indicat, paucis perpendamus.

§. XCIX. Suppurationem futuram scimus, si symptomata ab origine atrocia tertio quartove die non recedant, sed e contrario augeantur nullis auscultantia remediis, & nullâ per quælibet emunctomuncto-

(i) Idem §. 386. (k) Van Zwiet. ad id. Tom. I. pag. 386. (l) Boerh. Inst. Med. §. 928. (m) Idem Aphor. de cogn. & cur. morb. §. 387. (n) Van Zwiet. ad idem Tom. I. pag. 656. (o) Idem pag. 660.

ctoria evacuatione criticâ apparente, hæc vero symptomata non augentur summa cum velocitate, tum enim gangræna potius sequeretur, sed continuo incremento (*p*) & acerrima sunt, cum vasa distenta rupturæ proxima sunt, & cessant, cum vasa obstructa rupta sunt, & separata, unde Hippocrates dixit (*q*), *circa puris generationes dolores & febres magis accidunt*, *quam ipso facto*; horripulationes tum subsequuntur, & sic suppurationem factam esse scimus (*r*), quæ omnia, quæ ab inflammatione perdita erant, a vivis & sanis partibus separat (*s*).

§. C. Si vero humor fluens nimis acris valde moveatur, obstructio magna, vasa rigida, & omnia symptomata atrocissima sint (*t*), tertiam sequitur Angina inflammatoria viam, nempe in Gangrænam abit, quæ oritur, cum a quacumque causa in nostris descriptis partibus, influxu sanguinis per arterias, ejusdemque reditu per venas sublato, hisce mors inducitur (§. XCIX) diximus in suppuratione sensim vasa obstructa separari per motum sanguinis a tergo urgentis, quod non fit, si inflammatio in gangrænam tendit, tum enim omnis liquidorum motus in affectis partibus omnino suffocatur, ruptis subito vasculis, cujus phoenomeni causam facile explicabimus, si consideremus, acre fluidum validissimo motu propulsum urgere fines arteriarum, immeabili materia ita infarctos, ut absolute nil transgredi queat, & nimiam rigiditatem vasorum impedire, quominus distendantur, unde tum vasa subito rumpuntur, illis ruptis liquida effunduntur, quæ acria magis cerrumpuntur, & ab ingenti calore atrociori inflammationi semper juncto adjuta subito putrescunt (*u*).

§. CI. Hæc si loca conspicua corripiat, ex signis peculiaribus facile cognoscitur, Epidermis tum ut in combustione a cute subjectâ secedit, & ab humoribus in bullas ichore subrubello plenas attollitur, dein rubedo mutatur in cinereum, pallidum, fuscum, & tandem nigrum colorem, omnia inflammationis symptomata quiescunt, & penitus cessant; si autem alias partes non conspicuas affecerit, præcipuum signum est subita cessatio doloris, observatis simul symptomatibus atrocissimis inflammationis prægressæ (*v*), sic videmus in vehementioribus inflammationibus miseros sæpe ob abolitionem dolo-

(*p*) Idem Tom. I. pag. 660. (*q*) Sect. 2. Aphor. 47. (*r*) Coac. præn. No. 422. (*s*) Van Zwiet. Tom. I. pag. 656. (*t*) Boerh. Aphor. de cogn. & cur. morb. §. 388. (*u*) Van Zwiet. ad idem Tom. I. pag. 661. (*v*) Idem pag. 662.

doloris morbum jam victum credere, dum paulo post moriuntur; Hæc vero omnia symptomata enucleare, non nostrum est pensum, sufficit nobis scire ex atrocissimis inflammationis symptomatibus gangrænam futuram, vel jam factam esse, & subito horum symptomatum Levamini non fidendum.

§. CII. Ultimus jam sequitur Anginæ Inflammatoriæ exitus, nempe ejus degeneratio in schirrum, hic præcipue obtinet in partibus glandulosis, & tum enascitur, cum materies obstruens inflammatoria partibus sanis impacta, liquidiore sua parte destituta cum illis unita manet, & in durum & indolentem tumorem concrescit (*w*).

In descriptione nostrarum partium vidimus numerosissimas glandulas circa partes respirationi & deglutitioni inservientes dispositas esse, ergo non mirum videbitur, in illis, in quibus sanguinis arteriosi impetus parum admodum, vel omnino nihil agere potest, materiem impactam, obstructis emissariis, & liquidiori parte sensim difflata, immobilem manere & tumorem durum & indolentem constituere.

§. CIII. Dignoscitur hic facile, quoniam fere semper deglutitionem lædit, & raro respirationem, pars enim cartilaginea asperæ arteriæ impedit, quominus tam facile via aëri intercludatur, licet membranacea pars a tumente oesophago, vel aliis vicinis scirrhosis partibus comprimatur, & in ipso asperæ arteriæ cavo vix locum habere potest, quoniam, si ibi tumor nasceretur, ingens & continua tussis sic vexaret ægrum, ut prius deficeret, antequam scirrhus sensim increscens illum suffocaret (*x*).

§. CIV. Hic præsens facile detegitur ex tumore, duritie, & absentia doloris, si in conspicuis partibus hæreat (*y*), si vero in interioribus lateat, præsens statuitur, si inflammatio obsidens partes glandulosas nec resoluta est, nec in suppurationem conversa, & tamen partium functiones ob molem comprimentem læsæ manent (*z*).

§. CV. De metastasi materiæ nostræ morbosæ ad alias partes multa dicere possemus, verum quoniam alios morbos inducit, & nostrum malum levius reddit, huic non immorabimur, sed tantum memorabimus, illam deferri posse ad quaslibet corporis partes, ut ad hypochondria, ad caput, ad collum, ad pulmones, ad linguam, ad

(*w*) Idem pag. 667. De Gort. Chirurg. §. 24. (*x*) Van Zwiet. id. Tom. I. pag. 650. (*y*) Idem Tom. I. pag. 860. (*z*) Idem loc. citat.

ad crura & alias (*a*), addita Hippocratis admonitione, *ab Angina detento tumorem in collo fieri bonum esse, quoniam tum morbus foras vertitur* (*b*).

(*a*) Idem Tom. II. pag. 679. 680. (*b*) Sec. 6. Aph. 37.

CAPUT NONUM.

De Anginæ Inflammatoriæ Cura.

§. CVI. Si jam signa doceant, Anginam adesse, examinandum est, an pura hactenus sit inflammatio, tumque ut alii morbi inflammatorii tractanda est, observatis simul caussis procatarcticis & proëgumenis, vidimus enim aërem nimis calidum caussam esse posse, quare tum temperatior suppeditandus est, sic cum nimis frigidus aër peccat, calidior subministrandus est, motus si peccat, quies concilianda, acria si obtinent, corrigenda, & sic reliqua contraria contrariis curanda sunt, verum hæc non sufficerent, si simul caussa proxima non tolleretur, ergo citissime per efficacissima remedia resolutio tentanda est, & incumbendum, ut ulterior vasorum læsio impediatur, & jam facta tollatur, & materies obstruens mobilis reddatur, quas omnes indicationes absolvit venæ sectio (*a*) in brachio vel pede instituta ad animi deliquium usque per satis magnum inflictum vulnus, adeo ut sanguis non veluti percoletur, sed pleno rivo effluat (*b*), hæc enim copiam & impetum sanguinis arteriosi minuendo impedit, ne ulterior vasorum inflammatorum læsio fiat, & jam factum emendat, cum jam hæc copia & impetus vasa distendentes minuuntur, Oscillationes elasticæ vasorum restituuntur, quibus materiem obstruentem attenuare & meabilem reddere possunt, & sic optima occasio præbetur contractis vasis obstruentes moleculas in capaciora vasa repellere minuto tum impetu sanguinis a tergo urgentis (*c*).

§. CVII. Multi, ut huic indicationi satisfacerent, voluerunt statim raninas venas pertundendas esse, sed perperam, & maximo cum

(*a*) Boerh. Aph. de cogn. & cur. morb. §. 396. (*b*) Piso de cogn. & cur. morb. Lib. II. pag. 316. (*c*) Van Zwiet. Tom. II. pag. 673.

cum periculo, si non larga prius sanguinis missio in pede vel brachio instituatur, quoniam, ut ex circulatione sanguinis cognitâ patet, sanguis actione cordis & arteriarum ex arteriarum finibus in venas propellitur; unde certum est, resistentiam minui sanguini arterioso propellendo in venas, si vena aperta est, unde tum, durantibus iisdem viribus cordis & arteriarum, sanguis per illas arterias, quæ in venam jam apertam se evacuant, celerius movetur, & sic reliquus sanguis quasi per antliam ad illas trahitur (*d*), ergo sanguis, cum venæ raninæ apertæ sunt, celerius movetur per arterias his venis respondentes, nempe ramos Carotidis externæ, quos nostris partibus sanguinem suppeditare vidimus, unde facilis inflammationi crescendæ ansa datur, & sic periculosæ Anginæ, in quibus minimum sæpe tumoris augmentum Lethale est, in mortem tendunt (*e*), hancce quoque methodum damnans Tulpius (*f*) testatur, se hujus infortunii aliquando funestos eventus vidisse, quare hodiernum morem instituendæ in brachiô vel pede optimum ducimus, & quidem in pede, si mulieres a retentis mensibus in nostram calamitatem inciderunt, & in viris, si hæmorrhoides, per quas sanguinem evacuare solebant, suppressæ sunt (*g*), ut sic major sanguinis copia ad partes inferiores, & ad illa Loca excretoria derivetur: Debet & hæc phlebotomia aliquando pluribus vicibus repeti·observatis observandis.

§. CVIII. Si vero æger tam debilis est, ut repetitionem phlebotomiæ perferre nequeat, cucurbitæ cum scarificatione in locis vicinis, ut ad aurem, primam cervicis vertebram, in humero, in mento (*h*), aliisque adhiberi possunt, hæ enim non tantum extrorsum ducere valent materiem morbi, sed etiam sanguinem evacuant, cum pressio aëris earum actione tollitur, unde tum potentissima revulsio fit ab interioribus locis inflammatis (*i*). Eundem in usum adhibentur quoque setacea, fomenta, fonticuli, hirudines, epispastica, pediluvia, narium hæmorrhagiæ per vaporem tepidum laxantem & emollientem, & hæmorrhoidum per frictum & aloëtica suppositoria provocatio.

§. CIX. Hisce peractis adhibenda sunt remedia diluentia, antiphlogistica, quæ incrassatum solvunt, compactum attenuant, & nimium calorem tollunt, quorum præcipua sunt, omnia decocta fa-

(*d*) Hild. de Ang. cap. 5. (*e*) Piso de Cogn. & Cur. Morb. Lib. 2. (*f*) Obs. Med. Lib. 1. Cap. 51. (*g*) Piso loc. cit. (*h*) Idem Lib. 2. pag. 316. (*i*) van Swiet. tom. 2. pag. 675.

farinosa, hordacea & avenacea, fructus horræi, acida & acessentia vegetabilia & fossilia, herbæ & radices nitrosæ saponaceæ, ut Scorzoner. Tharax. Endiv. Portulac. Gramin. & similes, additis nitro, Sale Polychr. Sale Prunell. Melle, Oxymelle, Manna, pulpa cass. Tamarind. Rob. Rebes. Rob. Samb. &c. Omnia enim aquosa diluunt, conjuncta nitrosa refrigerant, addita farinosa maxime solvunt concretum inflammatorium, & vasa laxant, eccoprotica commixta antiphologistica alvum subducunt, unde a superioribus revulsio fit. Sic hæc memorata omne punctum absolvunt, omnique indicationi respondent, ex quibus variæ concinnari possunt formulæ, quibus quoque si ægri dui insomnes sunt, leniter anodyna adduntur ex seminibus, fructibus, nucleisque refrigerantibus parata, hæc enim corpori blandum frigus, & gratum soporem inducunt.

§. CX. Tertio huic indicationi respondent fomenta & cataplasmata ex foliis floribusque emollientibus resolventibus, ut Malv. Alth. Sambuc. Chamomill. Melilot. similibusque, vel ex Sapon. Venet. hæc lacti incoquantur, extus calide applicentur, sæpe renoventur, rite disponantur, & calida serventur, hæc enim solida laxant, & resistentiam laterum vasorum minuunt, unde facilius dilatari possunt (k).

§. CXI. Quarto injicenda sunt Clysmata antiphlogistica, diluentia, emollientia, & attenuantia, ut hæc injecta, intestinorum vasis laxatis & lubricatis, absorberi, & sic per totum corpus distribui possent (l), hinc optime prosunt ex simplici sero lactis, decocto hordei, & herbarum emollientium, cum nitro, melle, vel syrupis idoneis parata (m).

§. CXII. Quinto requiritur perpetua humectatio oris & faucium per lenissima attenuantia, nitrosa, diluentia, aquosa calida laxantia, ore quieto contenta, leniterque gargarisando (n) applicata, qualia sunt decocta ex Alth. Malv. Sem. Lin. parata, infusa Flor. Samb. Rhead. Melilot. additis Nitr. Acet. sale Polychr. Melle, vel Syr. Alth. Fernel. quæ omnia calida esse debent, ne frigida constringendo vasa noceant, & leviter gargarisando applicanda sunt, ne partes inflammatæ ruditur agitentur, & sic gangræna inducatur; si vero partes adeo intumuerint, & tantum & tam continuum sit pituitæ stillicidium, ut æger hæcce clauso ore continere ne-

(k) Idem tom. 1. pag. 677. (l) Idem loc. citat. (m) Will. de Med. Oper. pag. 191. (n) Boerh. Aphor. de Cogn. & cur. morb. §. 811. (o) Idem §. 809.

nequent, hæc continuo per ſiphonem injici debent, ut partes morboſæ laxentur, materies obſtruens attenuetur, & diluatur, & caveatur, ne partes exſiccentur nec areſcant.

§. CXIII. Si vero inflammatio hæreat in partibus, quæ hiſce tangi non poſſunt, hauriendus eſt vapor humidus, tepidus, & mollis (*o*) decoctorum vel infuſorum ex emollientibus floribus & herbis paratorum, & imprimis ex Flor. Samb. quia hi refrigerantem halitum ſatis volatilem ſpargunt, adhiberi quoque poteſt aqua Still. Roſar. vel Flor. Tiliæ, addita modica quantitate aceti, majori enim quantitate noceret irritando, & moleſtam dolentiſſimamque tuſſim excitaret, hancce methodum Hippocrates jam laudavit, in peſſima Anginæ ſpecie; Facile hic vapor attrahi poteſt per infundibulum ollæ medicamenta calida continenti ſuperimpoſitum, qui tum loca inflammata directe alluit, laxat, materiem obſtruentem attenuat, & diluit (*p*).

§. CXIV. Si autem inflammatio aſperam arteriam vel laryngem occupans hiſce tentatis remediis non cedit, & aditum aëri claudit, ſuffocare, & mortem inducere debet, ſi non omnis opera navetur, ut per artem aëri in pulmonem via paretur, quem in finem Bronchotomia inſtituenda eſt, non ut hac noſtrum morbum ſanemus, verum ut tempus lucremur, quo efficaciſſima remedia ad illum curandum adhibere poſſemus: Antequam vero hæc operatio inſtituatur, 1mo examinandum eſt, an morbus circa laryngem, vel in parte ſuperiori aſperæ arteriæ hæreat, quoniam ſectio infra locum affectum fieri debet, 2do an ſit morbos recens, ſi enim diu duraverit metus eſt, ne arteria pulmonalis jam infarcta ſit immeabili ſanguine, quare licet via aëri in pulmones parata eſſet, lethalis tamen Peripneumonia maneret, 3^{tio} num ſymptomata doceant, inflammationem jam in Gangrænam abiiſſe, quoniam tum inevitabilis mors ſuccedit (*q*); Quare in his caſibus non facile adhibenda eſt Bronchtomia, non quoniam mortem acceleraret, verum quia ab imperitis & malevolis huic operationi licet neutiquam periculoſæ mors imputaretur (*r*).

§. CXV. De variis hujus operationis methodis mentionem non faciemus, ſed breviter tantum generaliorem exhibebimus, quæ ſequenti modo fit, reclinato capite ægri, ſub capite aſperæ arteriæ ad pollicis diſtantiam infra laryngis marginem infimum, cute & in-

(*o*) Idem §. 809. (*p*) Van Zwiet. Comm. in Aph. Tom. II. pag. 677. (*q*) Boerh. Aph. de cogn. & cur. morb. §. 816. (*r*) Van Zwiet. ad Id. Tom. II. pag. 685.

integumentis descissis, dein amotis musculis, interstitium inter annulos tertium & quartum cartilagineos asperæ arteriæ lanceola secatur, & huic vulneri canaliculus argenteus imponitur duabus ansis instructus, ut firmari posset (*s*). Qui vero plura de hacce operatione desiderat, consulat scripta Chirurgica, & integra de Bronchotomiâ capita inveniet.

§. CXVI. Quod ad cibum nostrô morbô laborantibus præscribendum vel potum attinet, hic levis, & paucus simul dandus est, & petendus ex antiphlogisticis, avenaceis, hordaceis, oleribus, fructibus horræis &c. maxime huc conducunt solum serum lactis, vel lac tripla copia aquæ dilutum (*t*), & jura carnium tenuiora cum oleribus farinosis, succo citri, similibusque Parata: verum si ob acerbissimum dolorem deglutitio impediatur, eadem vel similia per clysma injici debent, ut corpus nutriatur, & caveatur, ne corporis exsiccatio, aliæve inediæ noxæ (§. LIV.) ægrum necent.

Hæcce sunt B. L. quæ de hac misera calamitate dicere proposueram, quare huic dissertationi finem inpono enixe rogans, ut si a scopo aliena occurrant, corrigas, omissa suppleas, ea quæ arrideant Celeberrimis Fidelissimisque meis Præceptoribus adscribas, mihique veniam pro laude concedas.

(*s*) Idem pag. 687. 688. Heist. Chirurg. Tom. II. pag. 675. 676. (*t*) Van Zwiet. Id. Tom. II. pag. 676.

F I N I S.

COROLLARIA.

I.

Epiglottis non ſola deglutiendorum gravitate deprimitur.

II.

Neque muſculis opus habet.

III.

Sexus Virilis præ Foeminino Anginæ Inflammatoriæ patet.

IV.

Mutilatio maxime corpus ad Plethoram diſponit.

V.

Venæ ſectio efficaciſſimum eſt Anginæ Inflammatoriæ remedium.

VI.

Raninarum autem pertuſio maxime periculoſa.

TER INWYINGE

Van den HERE

M. STEFFENS,

Tot Leeraar in de Geneeskunde.

Geluk myn Vrient! nu Gy, voor onvermoeide vlyt,
Uw' Schedel ziet bekranſt met krakende laurieren :
Maar, wen Ge nu met zulk een Eer gehuldigt zyt,
Laat onze Vriendſchap ook met vaſte Trou zich ſieren.

H. A. VAN ADRICHEM.

TER INWEIJINGE
VAN DEN
HEERE
MEINARD STEFFENS,
Tot Geneesheer.

Zoo mag ik dan myn Vriend ontmoeten?
Die na een nyv'rig onderzoek,
Van Heel en Artſenykund boek,
Zig als Geneesheer ziet begroeten.

ô Jae! daar Hy met ſtaêgen vlyt
Gevolgt heeft veeler wyzen ſchreeden,
Die in het nuttig Lyk ontleeden,
Verſleeten meenig wintertydt;

Terwyl Hy d'oorzaak veeler quaalen
Ontdekt' uit des Hoogleeraars mond,
Of in eens anders Schriften vond,
Hoe Hy haar tekens moeſt bepaalen.

Die vaerdig 't beſte middel toont
Om ziektens in haar kragt te keeren,
Haar woede en moordzugt af te weeren,
Jae zelf den Dood in 't aanzigt hoont.

Met regt mogt Pallas Lauw'ren plukken,
Om U op Leidens Hoogeſchool
Beroemt van Zuyd tot Noorderpool,
De blonde hairlok zagt t'omdrukken.

Gaa

Gaa heen dan MEINARD, gaa vry heen,
De Faam moet fteeds uw lof verheffen,
Toon met der quaalen grond te treffen,
Hoe nut Gy zyt voor 't algemeen.

Myn Vriend! geenees veel zieke Menfchen,
Red hen uyt 't aek'lig dal der doôn,
Bouw fteeds op hulp en kragt der Goon,
Dan krygt Gy wat Uw ziel kan wenfchen;

Dan zal zoo eens Uw edel hert
Door minnekoortfen word ontftooken,
Een fchoone Maagd nog fris ontlooke
Den Balfem fchaffen voor Uw fmert,

Zy zal Cupidoos diepe wonden
(Wyl fteeds de Min voor dranken gruuwt)
Door midd'len, die zy nimmer fchuuwt,
Geneezen, (door den Echt verbonden):

Zoo oeffend G'yder kunft om kunft,
Zoo wint Gy zorgend' voor het leven,
Het dierft den Schepfelen gegeven,
Ook beyden 's Waerelds roem en gunft.

GUALTHERUS ZOUTMAAT, JOH. ZOON.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD

QUIRINUM VISSER,

MDCCLVIII.

Ad diem 19 *Maji.*